

4466
DISSE⁵RAT^TO POLEMICA
DE
VISIBILIS ECCLESIAE CAPITE VISIBILI
CHRISTI VICARIO

CONTRA

ERRONEA PROTESTANTUM DOGMATA,
AD VERITATEM CATHOLICAM COMPROBANDAM OMNI-
DURE MUNITA, CUM ANNEXIS QUÆSTIONIBUS CELEBRO-
RIBUS, HACTENUS PROTESTANTES INTER, & CA-
THOLICOS AGITARI SOLITIS CIRCA PRO-
POSITAM MATERIAM.

QUIBUS ANNECTUNTUR

CONCLUSIONES EX UNIVERSA THEOLOGIA
DOGMATICA AD MENTEM

D. PATRIS AUGUSTINI,
FIDELISSIMIQUE EJUSDEM S. DOCTO-
RIS INTERPRETIS |

D. THOMÆ AQUINATIS,
IN ECCLESIA S. WENCESLAI MARTYRIS FRAT-
RUM EREMITARUM DISCAL. S. P. AUGUSTINI
SOLEMNI DISPUTATIONI PROPOSITÆ.
QUAS SINE PRÆSIDE

DEFENDENDAS SUSCEPIT

P. SERAPHINUS A S. ANNA, ORDINIS FRATRUM EREMIT.
DISCAL. S. P. AUGUSTINI SS. THEOL. ALUMNUS. |

Die Mensis Junii Anno 1762. horis meridiem consuetis.
EX MANUDUCTIONE, & PRÆLECTIONIBUS
P. BASILII A S. NICOLAO TOLENTINO ORD FRAT. EREM.
DISCAL. EJUSDEM S. P. AUGUSTINI SS. THEOL. & CON-
TROVERSIARUM FIDEI LECTORIS ORDINARII.

Typis, Catharinæ Labaunianæ Viduæ, Factore Leopoldo Joanne Kamenitzky.

IN=030006702

Honoris , debitæque Venerationis ergo Eloquentissimo fama periclitantium

A D V O C A T O ,

FÆCUNDISSIMO

VERBI DIVINI PRÆCONI ,
THAUMATURGO ,

In his

QUÆ NON LICET HOMINI LOQUI

SILENTIARIO ,

INVICTISSIMOQUE

CœLI ATHLETÆ , & MARTYRI

SANCTO JOANNI
NEPOMUCENO ,

Ab ejusdem cliente devinctissimo
DULICA VENERATIONE
OPUSCULUM HOCCE SACRATUM.

Imprimatur.

Pro Celsissimo Domino
Protectorē

JOANNES ANTONIUS KAYSER.
Episcopus Suffraganeus Pragen.

Vidi

JOANNES MICHAEL HERTSCHE
Director.

AD LECTOREM BENEVO- LUM PROLOQUIUM.

UT nihil novi sub sole est, ita nihilominus mortaliū cupidos non magis satiare valet animos, quam novitas. Verum ne me per hoc Lector amice! existimaveris novitati tibi proponendæ navasse operam, non novam tibi proponere veritatem intentioni duxi meæ, sed per vetustatem; Quod si hæc per antiqua veritas tibi hactenus in animo devo-to non nova, sed vetus, & genuina videtur invenies eam demonstratam rationibus vetustissimis, utpote in lege Divina fundate firmatis, si vero nihilominus quidpiam novum in veritate vetustissima quæsieris ad satiandum animum tuum, forte & hæc non pauca reperies, ex quibus veritatem, omnium Adversario-rum Capitibus antiquorem, ex noviter investigatis rationibus colligere poteris; quæ si non profutura, aut pro utilitate servitura forent tibi, certo persua-sum me existima, saltem obfutura tibi fore minime, veritatem orthodoxam, & genuinam amanti. Ratio vero, quæ memet ad hancce movit veritatem avitam lu-ci publicæ dandam est: cum etenim a nostræ Provinciæ Theologis anno elapso quæstiones typis datae sint, tum de verbo DEI scripto, & non scripto, tum etiam de ipsa Ecclesia, ejusdemque visibilitate, & infallibilita-

te; ne Ecclesia porro universa post has quæstiones de
illa sapienter deductas, remaneat Acephala: opera
preium duxi opusculo præsenti Caput apponere ei,
illudque Candido Lectori nervosis munitum funda-
mentis clare ob oculos ponere, ad judicium de verita-
te ferendum, contra pertinacia adversantium capita.
Et quoniam nos inter ac Protestantum partes, circa
dictum Caput Ecclesiæ visibile hactenus multa in pro-
cessu Canonizationis sunt; hinc litem hanc auspicari
placuit a necessitate, & exigentia alicujus Capitis Ec-
clesiæ visibilis; post quod in specie declarare decrevi:
quodnam illud Caput Ecclesiæ non sit, & quodnam
sit, in specie Caput Ecclesiæ a Christo præpositum; ut
ea æconomia utendo, cuilibet Ecclesiæ corpus visibile
recte; & sine pertinacia intuenti, una patulum pro-
stet Caput ejusdem visibile, cuivis recte sentienti con-
templandum. Intentione porro id prosequendum du-
xi rectissima, non animo aut carpendi pure, aut ca-
villandi, ceu personam quamquam, ceu nationem,
aut quemquam hominum cætum contrarium propug-
nantem; sed solummodo animum adieci veritatem
genuinam ostendendi ad salutem cuilibet personæ, na-
tioni, & hominum cætui, tum consentienti, tum con-
tra sentienti non tam utilem, quam pernecessariam.
Auctores ex quibus sumpsi præsentis opusculi materias
non multi fuere mihi, verumtamen mundo præsenti
non ignoti nominis, nempe: Liberius, Bellarminus,
& Calvinus; ea que de causa a me sumpti, ut per op-
posita juxta se posita, eo magis orthodoxa veritas ex his
elu-

elucescat; quos ob id ipse met oculariter inspicere vo-
lui, ut fideliter omnia a me locis citatis transumpta,
orbi literario præsentari possint, ne falsitatis aucto-
rem in transumendis corundem sententias me quis-
quam aut traducere, aut cavillare queat. Quod vero
methodum procedendi attinet, claritati, & simplici
veritati operam dedi simpliciter, absque superfluo
verborum ornatu. eligens magis ad stabiliendam
veritatem propositam, figuras sententiarum, quam
verborum assumere. Quod autem brevitatem alias
inchoatam porro prosequi destiterim, ubertas ma-
teriæ, & quæstionis propositæ vastitas a limitibus
tam angustis me cohibuit, gratius arbitrantem mun-
do facturum, si illud, quod eidem proponere præ-
concepi, hacce fusiori non nihil methodo ob oculos
posuero; quoniam si & ego censor materiæ fo-
rem propositæ, non aliud mihi foret judicium: quam
aut totum, aut nihil expedire luci dare publicæ; quo-
niam tam ampla quæstionis occasio, necessariaque ma-
teriæ connexio, terminos tam anxios pati designatur.
Non damno equidem, aut reprobo, neque ulla cen-
sura dignam existimo sedulam cæteroquin aliorum
scribendi methodum, veluti a me cum omni æstima-
tione in non contemnendorum Doctorum hujus ævi
catalogum candide repositam; verum solummodo a-
liorum crisim, & censuram laboris mei antevenire o-
pere pretium duxi; ut tametsi fortasse in methodo mi-
hi accommodata ostendendæ veritatis haec tenus: non
primum visus sim habere similem; ex eo tamen liqui-
de

de sequi potest minime: me nec habiturum sequentem; cum censura hujusmodi haetenus in comperto non sit liquida, utpote in quæstione non parva remanens, quam imitatores fors solvent attome tempore competenti; cum cujuslibet genio liberum maneat eligandi id, quod veritati demonstrandæ, juxta modum proponendi cuique accommodatum, expediens magis existimabitur. Etenim me mea delectant, te tua, quemque sua. Utere proinde Letor benevole labore meo! & si non opere hoc, saltcm intentione bona pro gloria DEI a me assumpta te contentari sine. Et quodsi veritatis propositæ amicus fidelis, & prudens existis: Ave! si secus: Vale!



QUÆSTIO.



Q U A E S T I O.

Quodnam sit Caput veræ Christi Ecclesiæ.

Ante hujus quæstionis decisionem pro nunc supponitur: dari veram Ecclesiam, seu cætum hominum eandem fidem Christianam profidentium, Sacramentorum communione colligatum, & unitum, sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue unius in terris Vicarii Christi.

Eam insuper visibilem, & infallibilem esse, quæstiones antecedentes demonstrarunt, nunc porro de Capite Ecclesiæ visibili, & ejusdem Rectore, & Gubernatore inquirendum restat.

Ante cujus decisionem pro clariori quæstionis intelligentia præmittenda sunt quædam generalia quæsita, pro resolutione determinanda circa Caput Ecclesiæ, sit igitur prænotati loco.

§. I.

Quæstio Præliminaris.

An in Ecclesia Christi oporteat dari unum determinatum Caput visibile Christi Vicarium, quod in unitate fidei omnes Christi fideles contineat, regat, & gubernet.

Novatores, ut suam quisque fidem ad placitum suum fabricatam suis obtrudant sequacibus, atque ab uno infallibili Ecclesiæ Capite abducant, extremum bellum movent supremo in terris Christi Vicario; optime gnari: quod si hunc a Christo institutum visibilem in terris Judicem ex animis sequacium penitus non evellerent, eorum voluntaria pro cuiusvis arbitrio de-

rebus fidei sentiendi placita, in animis a se seductorum hominum fidem, aut nullam, aut exiguum invenirent.

Verum quoniam perbelle norunt regimen Ecclesiae a Christo Domino ordinatissimum fuisse constitutum, quod necessario aliquem Gubernatorem exigit, alioquin brevi in extremum chaos redigendum, si quilibet pro summo genio de rebus fidei sentire posset; Hinc ne Romanum Pontificem Ecclesiae Christi Caput visibile fateri cogerentur, in varias sententias pro statuendo Ecclesiae Capite abierunt.

Divisio sententiarum.

CAlvinus l. 4. instit. c. 6. docet: solum Christum, & unicum Caput Ecclesiae esse, qui sine ullo alio in terris Vicario, aut Successore munus regendae Ecclesiae sustinet.

Marcus Antonius de Dominis citatus a Becano Tomo 5. opusculorum l. 2. de Republica Ecclesiastica: Spiritum Sanctum propriè esse Vicarium Christi in Ecclesiae regimine docet, quatenus per sua dona, & internum influxum Ecclesiae membra regit, conservat, & in unitate fidei continet.

Alii rursus admittunt quidem Caput Ecclesiae visibile in terris, verum illud in uno determinato Vicario Christi docent non consistere, sed vel in omnibus Ecclesiae Praepositis, aut saltem parte potiore eorum, Verbum DEI purum profitentium, & Sacramentorum legitimo usu utentium; Ita passim tradunt Lutheri asseclæ. Quid porro in re tanti momenti statuendum sit dabit bina resolutio, ante cujus positionem prævie venit.

Not. I. Absque controversia certum esse, Ecclesiae Caput essentiale, primarium, & invisibile esse solum Christum, id enim non tantum adstruunt cum Catholicis Adversarii, verum & luculente sacræ testantur paginae; ait enim Apostolus ad Ephes. 1. v. 22. *Et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Item c. 5. v. 23. *Vir caput est mulieris secut Christus est Caput Ecclesia.*

Not. II. Certum itidem esse: Christum Dominum, dum in terris conversatus est Caput Ecclesiae visibile fuisse; fundavit enim Ecclesiam, duodecim Apostolos, & septuaginta Discipulos Ecclesiae ministros instituit, sub visibilibus signis condidit Sacraenta, novum Sacerdotium, novum Sacrificium, novas leges instituit, visibiliter Petro regendam Ecclesiam in Cœlum ascensurus commendavit dicens: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Joan. 21. Eam, quam instituit Ecclesiam insuper ipse gubernavit visibili liter:

liter: docendo, monendo, increpando, ut palam testantur Evangelistæ; igitur Ecclesiæ Caput visibile Christus fuit.

Not. III. Certum insuper est: Christum post Ascensionem suam in Cœlos Capitis obtinere dignitatem, Ecclesiam suam invisibiliter gubernantis, cum eam haec tenus regat, & gubernet, corda videlicet fidelium movendo, Pastorum mentes illuminando, atque fidelibus suis internas gratias conferendo, ut de se ipso testatur Christus Matth. 28. v. 20. *Ego nobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Unde solum superest resolvendum: an præter Christum Ecclesiam suam invisibiliter gubernantem, aliud in Ecclesia Caput visibile subordinatum Christo sit adstruendum, quod Christi loco visibiliter fideles regat, uti fecit Christus in terris existens, quod inquam Christi loco veritates revelatas infallibiliter doceat, atque in externo gubernio Christi vices suppletat, ex ejusdem Christi institutione; ante cuius decisionem adhuc prævie venit.

Not. IV. Quod titulus quæstionis propositæ nunc non sit determinante de Petro, aut Clemente, vel Romano Pontifice, de his etenim quid sentiendum sit principalis declarabit quæstio, verum pro nunc titulus quæstionis est universalis, ac indeterminativus, unde in præsenti

Quæritur I. An Christus ad Cœlos ascendens nosque invisibiliter prædicto modo dirigens, præter se aliud Caput visibile sui loco instituerit, quod Christo in externo succedat gubernio, & Christi loco Ecclesiam totam visibiliter regat, ad unitatem fidei conservandam; eo scilicet modo: quo Rex aliquis diu absfuturus a Regno suo pro tranquillitate regiminis servanda, loco sui Proregem constituit, qui ejus vices in gubernando Regno gerat.

Quæritur II. An dignitas Capitis Ecclesiæ visibilis constituta sit in una determinata persona, aut in omnibus Ecclesiæ Pastoribus, aut saltem majori eorum parte, quatenus purum Verbum DEI profitentur, & legitima Sacramentorum administratione utuntur; hanc porro quæstionem decidet Resolutio posterior, priorem vero sequens.

§. II.

Resolutio prima.

Portet in Ecclesia Christiana præter Christum, dari aliud Ecclesiæ Caput visibile, Christi Vicarium, atque Pastorem universalem; atque adeo Spiritus Sanctus non potest esse Caput Ecclesiæ Vicarium Christi.

Argumentum I. *juxta Calvinum l. 4. instit. c. 6. n. 7.* *Nullus questionem banc solvere melius potest, quam Scriptura ipsa.* Atqui scriptura ipsa multis in locis tradit oportere dari in Ecclesia Caput ejus unum visibile, ergo oportet in Ecclesia Christiana præter Christum dari aliud Ecclesiæ Caput visibile Christi Vicarium. M. est testimonium adversariorum. m. p. Ecclesia in scriptura assimilatur I. humano corpori: I. ad Corinth. 12. v. 12. *Sicut corpus unum est, et membra habet multa ita et Christus.* Assimilatur II. domui. I. ad Timoth. 3. v. 15. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo DEI conversari, que est Ecclesia DEI vivi.* Assimilatur III. ovili. Joan. 10. v. 16. *Fiet unum ovile, et unus Pastor.* IV. Assimilatur Regno Daniel. 2. v. 44. *Suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in eternum non dissipatur.* V. denique assimilatur exercitu bene ordinato. Cant. 6. v. 3. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata,* atqui corpus humatum ab uno visibili Capite regitur, cui alia membra subordinantur, dominus ab uno Patrefamilias, ovile ab uno Pastore regitur, Regnum ab uno Rege, exercitus ab uno supremo Duce gubernatur, ergo etiam Ecclesia Christiana ab uno Capite visibili debet regi, & gubernari, per consequens oportet dari in Ecclesia Caput ejus unum visibile, Christi Vicarium, atque Pastorem universalem. M. est Scripturæ dogma. m. ab exemplis Scripturæ manifesta; legitime proinde Resolutio posita ex his infertur.

Argumentum II. Eadem prorsus Ecclesia est nunc, & Apostolorum tempore, si substantialia spectentur, quæ fuit vivente Christo, atqui vivente Christo habuit unum Caput visibile a quo regebatur, ergo, & nunc debet habere unum Caput visibile a quo regatur Vicarium Christi. M. declaratur I. Apostolus ad Ephes. 4. v. 4. dicit: *Unum corpus, unus Spiritus una fides, unum baptisma, sed fides, & baptisma, sicut & Spiritus unum sunt, idemque, ac tempore Christi, ergo idem quoque corpus.* M. declaratur 2. Si enim est substantialiter eadem, quæ fuit tempore Christi, necessum est idem fore regimen nunc, quod fuit tempore Christi, si enim aliud regimen suisset tunc, aliud vero nunc, sequeretur eandem Ecclesiam nunc non esse, quæ fuit tempore Christi, sed essentialiter variatam; nam juxta Philosophum: quælibet Respublica tunc censetur mutari, quando modus, seu forma gubernandi mutatur. Ex qua sequela idem circa Ecclesiam esset statuendum; atqui prorsus absurdum est dicere Christi Ecclesiam nunc essentialiter mutatam esse, ut cuilibet rationem habenti patebit, ergo & absurdum est illud, ex quo id sequitur. m. principalis clare patet ex N. II. consequentia exinde legitime infertur.

Argumentum III. Synagoga, quæ fuit figura Ecclesiæ Christi, fuit semper gubernata ab uno Capite visibili, nempe ab uno Pontifice, cui reliqui erant subiecti, ergo a fortiori taliter debet gubernari Ecclesia Christi. Ant. patet ex libris: Exodi, Levitici, Deutonomii, nam 17. v. 12. Deut. habetur: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio morte morietur.* c. p. omnis perfectio, quæ fuit in figura, & umbra debet perfectius reperiri in figurato, atqui gubernari ab uno Capite est Perfectio, & quidem major, quam gubernari a pluribus, ergo si hæc perfectio fuit in Synagoga, a fortiori debet reperiri in Ecclesia Christi. M. patet: siquidem figura, & umbra est præparatio, & inchoatio quædam figurati, ergo si hæc perfectio fuit inibi, a fortiori in Ecclesia Christi reperiri debet. m. p. ibi est major perfectio, ubi ordo universi facilius suum obtinet finem, atqui ubi gubernatio fit ab uno Capite ordo universi facilius suum obtinet finem, ergo gubernari ab uno est major perfectio, quam gubernari a pluribus. M. patet. m. p. ubi gubernatio fit ab uno Capite facilius servatur pax inter subditos, major est consensus ad resistendum hosti, Regimenque est magis stabile, ac diuturnum, atqui hunc finem utpote maxime accommodatum ad sui conservationem maxime exigit ordo universi, ergo ubi gubernatio fit ab uno Capite ordo universi facilius suum obtinet finem. M. patet ab exemplis tantarum Rerum publicarum uti fuerunt Græca, & Romana, quæ ob hoc, quod a pluribus gubernata tuerint, & non ab uno, pacem, & quietem non prius assecutæ sunt, donec aut destructæ fuissent, aut in Monarchiam deliissent. m. p. ordo universi maxime exigit sui conservationem, atqui ad conservationem hanc magis expediens est gubernari ab uno, quam gubernari a pluribus, ergo gubernari ab uno exigit ordo universi. M. patet: cum quilibet res sicut sui destructionem horret, ita sui conservationem appetit. m. p. ubi plures gubernant cum pari potestate, ibi facile oritur dissensio, tum inter gubernatores, quando quisque proprium sequitur judicium, tum inter subditos, quorum aliqui unam, aliqui alteram sequuntur factionem, ergo ad conservationem ordinis universi magis expediens est gubernari ab uno, quam gubernari a pluribus. Ant. probat ipse Christus Lùcæ 11. v. 17. dicens: *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Et docet quotidiana experientia Adversariorum, nam Lutherani, & Calvinistæ, quia non agnoscunt unum Caput suæ Religionis, in tot varias partes dissecti sunt, quæ nunquam componentur apud ipsos, nisi sanius sapere incipient. c. patenter exinde sequitur.

Confirmatur: quamvis Christus in terris existens Ecclesiam suam spiritu suo interne rexerit, tamen præter hoc percipsum eam etiam visibiliter regere

regebat, ergo etiam quamvis Christus nunc Spiritu suo per internum gratiarum influxum Ecclesiam interne gubernet, tamen praeter hoc eam insuper externe per sui Vicarii directionem visibiliter regit.

Pro secunda parte resolutionis Argumentum I. Si Spiritus S. esset propriè Vicarius Christi, vel esset ejus Vicarius in regimine externo, vel interno, non in externo, cum Ecclesiam per se non regat visibiliter, sicut Christus in terris existens fecit, atqui etiam non in interno, ergo in nullo potest dici Vicarius Christi. M. patet cum aliis modis gubernandi praeter assignatos non detur. m. p. internum regimen Ecclesiæ consistit in interno influxu donorum gratiæ, atqui hic influxus donorum non producitur a solo Spiritu Sancto, ergo Spiritus S. non potest dici Vicarius Christi. M. est certa m. p. productio internæ gratiæ est communis tribus Personis juxta axiomam: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*, Ergo illa non producitur a solo Spiritu Sancto, secus nulla esset causa cur in tali productione gratiæ Spiritus S. sit potius Vicarius Filii, quam Pater, aut Filius sit Vicarius Spiritus S. cum omnes tres Personæ indivisibiliter ad productionem gratiæ concurrant.

Argumentum II. Vicarius proprio loquendo est inferior eo, cuius est Vicarius, atqui nisi impie sentire velimus cum Macedonio Spiritus S. non est inferior Filio, ergo non est Filii Vicarius. M. declaratur: Nam in hoc Vicarius contradistinguitur a Successore, quod Successor in Totum, & plenum jus sui Antecessoris succedat, ut patet in Regibus sibi in Regno succedentibus; Vicarius vero non in totum jus, sed in illud jus, quod ei a Principali suo confertur succedit, ut patet in Proregibus; hinc Pontifices Romanii non dicuntur Vicarii Petri, sed Successores, quia in totum jus Petri succedunt, bene vero dicuntur Vicarii Christi, sicut Petrus, quia in ius limitatum Christo succedunt, non enim internum influxum gratiarum Ecclesiæ præstant, velut Christus in terris existens simul præstavit, sed solum quoad externum regimen Ecclesiæ Christo succedunt, per consequens illi, & non Spiritus S. sunt Vicarii Christi.

§. III.

Resolutio secunda.

Dignitas Capitis Ecclesiæ visibilis constituta est a Christo in una determinata Persona, unde illa in omnibus Ecclesiæ Pastoribus aut maiore eorum parte non est requirenda.

Argumentum partis I. Christus Ecclesiæ suæ Pastorem unam determinatam Personam instituit, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ visibilis est constituta

K o X

Rituta in una determinata Persona. Ant. p. Christus unam tantum determinatam Personam ovili suo præfecit, cum Joan. 21. v. 17. dixit soli Petro : *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, ergo Christus Ecclesię Pastorem unam determinatam Personam instituit. Ant. p. Quia munus prædicandi Evangelii non soli Petro, sed omnibus æqualiter commisit id clare Christus omnibus annuntiavit Marci. 16. v. 14. dicens: *Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature*, ergo a contrario, cum munus pascendi soli singulari Personæ committat, solam hanc determinatam personam ovili suo præfecit.

Respondet Calvinus l. 4. instit. c. 6. n. 3. *Ut firma sint iste probationes ostendant in primis oportet, ei mandari potestatem in omnes Ecclesiás, qui pasceré Christi gregem jubetur - - -*

Verum id facile ostenditur. I. Vel enim omnium Ecclesiarum fideles sunt oves Christi, vel non? si non sunt omnes oves Christi, non sunt membra Christi, ac per consequens non sunt membra Ecclesię, de quibus proinde sermo non est; si vero fideles omnium Ecclesiarum sunt oves Christi, in omnes Petro potestas a Christo sui loco tradita est, ubi Petrus Pastor ovium Christi constitutus est.

II. Christus non dixit Petro: pasce has oves meas, vel illas, sed sine ulla restrictione dixit: pasce oves meas, ergo sine ulla restrictione omnes oves illi pascendas commisit, sed oves omnium Ecclesiarum sunt oves Christi, ergo omnium Christus Petrum Pastorem instituit.

III. Juxta Calvinum l. 4. instit. c. 6. n. 7. *Nullus questionem hanc melius solvere potest, quam scriptura ipsa*, atqui scriptura ipsa testatur, omnes oves Petro a Christo commissas fuisse, quarum Christus Pastor erat, ergo Petrus omnium Pastor fuit constitutus a Christo. m. p. eas oves pascendas commisit Petro, quarum Christus bonum Pastorem se dicit Joan. 10. v. 11. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me mee.* Atqui juxta Scripturam Christus omnium ovium Pastor bonus fuit, omnes oves cognovit, quæ eum cognoverunt, ergo Scriptura testatur Petrum per voces: *pasce oves meas, omnium Christi ovium fuisse Pastorem constitutum.*

Unde immerito querulatur Calvinus c. cit. in Scriptura non stare Vicarius Christi; nam quid tam anxie vocem quererit, ubi res significata clare habetur? nam quid sibi vult potestas Petro collata per verba: *pasce oves meas, quam id unicum: tu loco mei eas pasce oves, quarum ego Pastor bonus sum;*

Quid

quid autem aliud est vices alterius agere, quam Vicarium agere alterius? non enim alia ratione vice Rex aliquis dici potest, quam quia Vicarius Regis est.

Respondet Calvinus l. & c. cit. n. 4. II. Ad Argumentum principale: *Nihil hic Petro datur, quod non fuerit Collegis etiam commune, quia alioquin non modo personis fieret injuria, sed claudicaret ipsa doctrina Majestas* - - -

Verum quam impertinenter id a Calvinio dicitur: quæ enim injuria cæteris Apostolis fieri potest, cum Petro speciale aliquid datur, quod alioquin nulli debetur? Si enim Pater Cœlestis non fecit injuriam reliquis Apostolis, quod soli Petro revelaverit Christi divinitatem Matth. 16. v. 16. neque Christus ullam fecit reliquis injuriam cum soli Petro contulit specialem hic potestatem.

Quod & Majestas doctrinæ nullo modo per hoc claudicet, sed potius exaltetur, patet exinde, quia id sit ad exemplum Regiminis Christi, qui sicut unus visibiliter Ecclesiam regebat servata doctrinæ Majestate, ita eadem servata vices suas uni Petro loco sui defert, cum id, conformitas in doctrina, & perpetua ejusdem conservatio prorsus requirat.

Quod vero Petro aliquid speciale per has voces: pasce oves meas, sit concessum, quod non erat commune cæteris, velut cit. loco somniat Calvinus, hac demonstratione id evincitur: Nam potestas pascendi oves Christi data fuit Petro ad Petri dilectionem, atqui dilectio Petri non erat communis cum Collegis, sed major, quam aliorum, ergo, & major potestas Petro a Christo fuit collata, non communis cum aliis. M. patet: nam potestas, & dignitas Pastoralis ei data fuit eo tempore, quo Petrus erga Christum dilectionem testatus est. m. p. illa dilectio fuit in Petro, de qua Petrum Christus interrogavit, atqui Christus non interrogavit, utrum Petrus Christum diligenter sicut cæteri, verum Christus querit Joan. 21. *Simon Joannis diligis me plus bis?* Super quod ei dicit: *Pasce oves meas*, ergo dilectio Petri non erat communis cum Collegis, sed major, quam aliorum, per consequens, & potestas major Petro data est, non communis Collegis suis.

Argumentum partis II. Omnibus pastoribus non est dictum, aut majori eorum parti Matth. 16. v. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, sed id dictum est a Christo uni determinata Personæ, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ in omnibus Ecclesiæ Pastoribus, aut majore eorum parte non est requirenda. Ant. p. Illi soli determinate dictum est, cuius fidem indefectibilem Christus esse voluit, & pro qua Christus specialiter oravit, atqui Christus fidem unius determinata

minata Personæ indefectibilem esse voluit, & pro ea conservanda specialiter oravit, ergo id uni determinatae personæ dictum est, & non omnibus M. patet: quia si noluisset specialiter in una determinata Persona fidem conservatam habere, frustra pro ea specialiter orasset, & ei demandasset specialiter, ut conversus confirmet fratres suos. m. p Lucæ 22. v. 31. habetur: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expeditivit nos, ut cibaret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirmas fratres tuos.* In hoc textu prædictitur non Petro soli, sed omnibus tentatio a Satana obventura in fide, atqui omnibus non sit promissio indefectibilitatis fidei, pro omnibus non orat Christus, omnibus non præcipit, ut conversi confirmet fratres suos, sed soli Petro determinate, pro quo Christus determinate oravit, cuius solius indefectibilem fidem futuram prædictit, ergo Christus fidem unius determinatae Personæ indefectibilem esse voluit, & pro ea conservanda specialiter rogavit. M. est dogma revelatum a Christo. m. declaratur: ibi enim non loquitur Christus de fide Petri, & Apostolorum pro suis Personis, hanc enim in omnibus scivit non defecturam, sed loquitur Christus de fide Petri, & aliorum in suis successoribus, quam defecturam Christus in successoribus aliorum Apostolorum ex parte prævidit, non vero in successoribus Petri, hinc nulli, nisi soli Petro determinate mandat Christus, ut conversus fratres errantes in fide confirmet. c. patet si enim Christus fidem omnium aliorum indefectibilem reddere voluisset, sicut Petri, frustra mandasset Petro soli, ut conversus confirmet fratres suos.

II. Ant. principale p. authorit. SS. PP. S. P. Augustinus de Petri primatu l. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 1. ait: *Commemorat Cyprianus, quod nos etiam in Scripturis Sacris didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia preeminet --- Anselmus Archi-Episcopus Canturiensis ad c. 16. Mathæi sic scribit: Eam potestatem ideo uni Petro concessit specialiter, ut ad unitatem nos invitaret, ideo enim eum Principem Apostolorum instituit, ut Ecclesia quasi unum principalem Vicarium Christi baberet, ad quem diversa Ecclesie membra recurrerent, si forte inter se dissenserent --- Cyprianus ad Quirinum de Bapt. Hæret. ait: Petrus, quem primum Dominus eligit, super quem edificavit Ecclesiam &c. Maximus Serm. 1. de SS. Petro & Paulo. Per Christum Petrus facta est Petra dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam --- Plura Pa-*

trum testimonia videri possunt apud Liberium a JESU tract. 8. de Sacramen-
to Ordinis p. 2 disp. 1. controv. 3. n. 62.

III. Ant. principale p. ratione in Scriptura fundata: illi Personæ determinate dictum est: Tu es Petrus, tibi dabo claves &c. qui solus confessus est Christum esse Filium DEI vivi, atqui solus Petrus determinate confessus est Christum esse Filium DEI vivi, ergo illi soli determinate dictum est: Tu es Petrus, tibi dabo claves &c. M. patet, cum ad hanc solam confessionem immediate sequatur hæc promissio. m. ut clarius innoteſcat videndus est totus contextus positus Matth. 16. ubi interrogatis discipulis, quis esset Filius hominis v. 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius DEI vivi. Respondens autem JESUS dixit ei beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum, & in Cælis. Ex quo sequitur nullum alium Apostolum, sed solum Petrum confessum esse Christum fore Filium DEI, ergo etiam nulli alteri, sed soli Petro dictum est: Tu es Petrus, tibi dabo claves &c.

Respondet Calvinus l. 4. instit. c. 6. n. 4: Quod uni tunc promisit,
sibi reliquis omnibus simul confert, & quasi in manus tradit.

Verum frustra in his voluntariis suis responsis azylum querit, quod ex hoc manifeste evincitur: nam Christus hic promittit Petro potestatem universalem, & irrestrictam, & ad omnia se extendentem per verba quodcumque ligaveris, quodcumque solveris, atqui hanc universalem, & irrestrictam, ac ad omnia se extendentem potestatem nullibi aliis simul confert, ergo Christus, quod uni tunc promisit, nullibi reliquis aliis simul confert. M. patet: cum vox: quodcumque, idem sit, ac omne, & faciat sensum universalem distributivum, ita, ut nihil superesse possit, quod Petrus vi hujus potestatis solvere, aut ligare non posset. m. p. Potestas cæteris Apostolis collata fuit a Christo post Resurrectionem suam. quando insufflavit in Apostolos dicens: Joan. 20. v. 22. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, atqui hæc potestas non est universalis, & ad omnia se extendens, sicut illa Petri, sed ad sola peccata remittenda, & retinenda restricta, ergo potestas cæteris Apostolis alibi collata non est universalis, & ad omnia se extendens, sed ad sola peccata restricta, per consequens, quod Christus tunc uni Petro pro milit

misi, nullibi reliquis omnibus simul confert. M. est testimonium Christi. m. ex hoc testimonio clare infertur. c. est evidens, ut recte consideranti patet.

Respondet rursus Calvinus loco citato: *Quum interrogati essent omnes solus Petrus respondet: Tu es Christus &c. & ei dicitur: tibi dabo claves, quasi ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem, quum, & illud pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipius unitatis acceperit.* Item n. 6. habet: *Confessus erat Petrus suo, & Fratrum nomine Christum esse Filium DEI - - -*

In hoc responso duo dicit Calvinus I. est: quod licet omnes interrogati a Christo fuissent, unus tamen Petrus responderet non pro se, sed pro omnibus II. dicit: quod sicut pro omnibus confessus est Petrus Christum esse Filium DEI vivi, ita, & pro omnibus responsum acceperit a Christo: *Tu es Petrus, tibi dabo claves &c.* sed non pro se solo excludendo alios, sed & pro omnibus aliis.

Verum tametsi in citato loco duo dicat, nec unum tamen ex his subsistit, unde contra responsionem primam sic manifeste instari potest: Petrus suo, & non cæterorum nomine confessus est Christum esse Filium DEI vivi, ergo, & potestatem solus pro se, & non pro omnibus accepit ligandi, & solvendi quæcunque. Ant. p. Si Petrus cæterorum nomine confessus fuisset Christum esse Filium DEI vivi, id confessus fuisset ex consensu, aut commissione cæterorum, atqui cæteri Apostoli in id non consenserunt, neque ullam commissionem Petro dederunt, ergo Petrus suo, & non cæterorum nomine confessus est Christum esse Filium DEI vivi. M. patet nam quo pacto aliorum causam quis agere potest nisi consensum, aut plenipotentiam prius clientum habeat. m. p. ex citato textu Matth. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Atqui si Apostoli hanc Petro commissionem dedissent, aut in hanc confessionem consensissent falso diceret Christus, *caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,* ergo Apostoli id ei non commiserunt, neque in id consenserunt. M. est testimonium Christi. m. patet: quia tunc non Pater, sed caro, & sanguis, id est homines id Petro dixissent, unde a revelatione hac Apostoli excludi non potuerint a Christo. c. claret: quia quod ignorarunt, in id consentire non potuerunt.

Ut vero altera responsio Calvini impugnari possit, demonstrandum venit, quod tunc solus Petrus pro se, & non pro omnibus ligandi, & solvendi quæcunque potestatem acceperit. Id porro demonstratur I. quamvis Chri-



Itus omnes Apostolos interrogaverit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matth. 16. Soli tamen Petro Pater Cœlestis revelavit eum esse Filium DEI vivi excludendo alios, ergo etiam soli Petro Christus dixit: Tu es Petrus, tibi dabo claves, &c. excludendo alios. Ant. Christus loco citato testatur. c. p. Illi soli dixit Christus: Tu es Petrus &c. cui paulo post dicit: vade post me Satanas, ut ex contextu clare innotescit, atqui hoc soli Petro dixit excludendo alios Apostolos, ergo, & primum, & non est sane ratio, cur Novatores donum DEI hic faciant commune, malum vero singulare.

II. Quotiescumque Christus in Evangelio utitur particula: *Tibi*, ita ad Personam particularem restringit, ut ad alios nequat ampliari, ut cum dicit: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in Paradiso*; *Remittuntur tibi peccata multa*; *Adolescens tibi dico surge*; Ergo etiam hic, quando dixit Christus: Tu es Petrus, tibi dabo claves &c. ad personam Petri ita restringit, ut sermo ad alios Apostolos ampliari nequeat. Ant. patet: non enim per hoc omnes latrones venia donavit, neque per hoc omnibus mulieribus peccata dimisit, aut omnibus adolescentibus vitam contulit. c. tenet a paritate, siquidem nulla ratio sit assignabilis, cur per particulam tibi in omnibus aliis locis Christus restrictive locutus fuisset, & in hoc solo, & unico loco ampliative, quando cum Petro specialiter locutus est.

III. Quotiescumque a contrario Christus sua dona pluribus largitur, in Evangelio nunquam verbo utitur singulari, ut cum dicit: *Sedebitis vos super sedes duodecim; accipite, & manducate; Hoc facite in meam commemorationem; Dabo vobis os, & sapientiam: Predicete Evangelium omni creature &c.* Ergo quotiescumque singulari utitur verbo, perperam pluribus accommodatur locutio. Unde frustra se fatigat Calvinus toto citato capite eandem recoquendo grambem, ut evincat Petro nihil speciale datum fuisse per illa verba, ait enim cit. c. n. 3. *Hinc colligere licet, aut illa Christi voce nihil praे aliis datum esse Petro, aut Petrum jus, quod acceperat cum aliis ex equo communicasse.* Id etenim præterquam, quod supra abunde refutatum sit, ubi demonstratum est: quod sicut Petrus pro se confessus est Filium DEI vivi, ita & pro se a Christo hanc potestatem accepit, potest nihilominus responsum Calvini hac refutari ratione I. Si enim Christus jam tunc cæteris Apostolis æqualem cum Petro dedit potestatem, cur quæsto altera vice post Resurrectionem suam eandem potestatem, quam Apostoli jam habuerunt rursus dat, & ad sola peccata restringit, si prima vice irrestrictem velut Petro eisdem contulit? ergo Christus tunc æqualem

æqualem cum Petro potestatem cæteris Apostolis non contulit. Ant. declaratur: nam cum Christus post Resurrectionem suam Apostolos missurus esset in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ, oportuisset potestatem datam eis relinquere, & non ad sola peccata restringere, ergo cum Christus tunc primo hanc restrictam potestatem Apostolis contulerit, sequitur eis ante nullam dedita, sed hanc soli Petro tunc fuisse collatam.

II. Admissio: quod tunc Petro, & cæteris Apostolis, eandem dederit potestatem, quia tamen hanc cæteris post Resurrectionem limitat ad sola peccata, nulla speciali mentione facta Petri, sequitur Petro majorem manere potestatem, & illimitatam, ergo illi soli aliquid speciale dictum manet per verba: quodcunque ligaveris, quodcunque solveris. Ant. p. Si enim Christus post Resurrectionem suam, sub limitatione potestatis ad sola peccata cæteris Apostolis data, voluisset & comprehendere Petrum, debuisset Christus id specialiter exprimere, quod universalem potestatem ante Petro datam nunc ad sola peccata limitet, atqui circa hoc Christus nullam fecit mentionem loco citato, ergo sequitur Petro majorem manere potestatem, specialem, & illimitatam. M. declaratur: nam quotiescumque alicui potestas datur illimitata, non censetur sub limitatione potestatis datæ aliis comprehendi, nisi ejus expressa mentio fiat. m. est clara ex scriptura, per consequens manet Petrus in possessione majoris, & illimatæ potestatis sibi a Christo datæ per verba: quodcunque ligaveris super terram, quodcunque solveris erit solutum & in Cœlis &c.

Quod vero Petrus jus, quod acceperat cum aliis ex æquo non communicaverit clare evincitur: nam quid familiarius est Calvinus, & ejusmodi hominibus, quam plenis buccis clamare: nihil esse credendum, quod aut in scriptura non stat clare, aut per claram, & evidentem consequentiam ex ea non deducitur? ubi quæso vel umbra in scriptura loco citato est: Petrum acceptam potestatem per verba: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum* ex æquo aliis communicasse? aut quo pacto per claram consequentiam id inferri potest? Petro dictum est: *Tibi dabo claves &c.* quodcunque ligaveris, quodcunque solveris, ergo Petrus ex æquo id cum aliis communicavit? si enim hanc consequentiam clare inferri Calvinus dixerit, etiam hanc ex scriptura clare inferam: Christus dixit Petro Matth. 16. *Vade post me satanas,* ergo id Petrus cum aliis ex æquo communicavit; hanc consequentiam si sibi communicatam ex scriptura clare inferri Calvinus opinatur, lubens ei faveo, verum quod Petrus id cum Apostolis ex æquo

communicaverit, credo ipsum Calvinum admissurum non esse, ergo nec primum admitti potest.

Dices: insistendo primæ responsioni Calvini, quod quamvis Joan. 20. v. 22. potestate in Christus Apostolis dederit determinatam, & restrictam ad sola peccata, hoc tamen non evincit Petrum majorem habere potestatem, quia quam Christus Petro contulit Matth. 16. v. 19. potestatem per verba: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis;* Eadem irrestrictam, & universalem cæteris Apostolis, & iisdem verbis contulit Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quecunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo, & quecunque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cœlis.* Ergo cæteri Apostoli tam amplam a Christo acceperunt potestatem Matth. 18. sicut Petrus Matth. 16. & iisdem prorsus verbis, per quod determinatæ personæ nihil speciale dictum a Christo manet non commune cæteris. Sed

Contra. Christus Matth. 16. majorem, & universaliorum Petro didit potestatem per verba: *quodcunque ligaveris, quodcunque solveris*, quam non contulit reliquis Apostolis Matth. 18. per verba: *quecunque alligaveritis &c.* ergo Christus Ecclesiæ suæ præfecit unam determinatam personam cum majori, & universaliori potestate, non communi cæteris. Ant. p. Christus cum soli Petro primo hanc dederit potestatem, soli etiam speciale aliquid commisit, quod nullibi aliis simul commisit, ergo &c. Ant. p. Christus cum potestate quecunque ligandi, & solvendi Matth. 16. Petro data, insuper claves Regni Cœlorum dedit ei, super eum ædificavit Ecclesiam suam, adversus quam nec portæ inferi prævalebunt, atqui Fundamentum hoc, super quod principaliter Christus ædificavit Ecclesiam suam, nullibi nominat Christus cæteros Apostolos, nullibi iisdem claves Regni Cœlorum velut Petro dedit specialiter, cum nulla mentio in scriptura de hoc fiat, ergo Christus, cum soli Petro primo hanc dederit potestatem, soli etiam aliquid speciale commisit, quod nullibi aliis simul commisit.

II. Quamvis Christus Matth. 18. iisdem prope terminis Apostolis cæteris loquatur: *quecunque alligaveritis, quecunque solveritis*, velut Petro Matth. 16. *quecunque ligaveris, quecunque solveris*, illa tamen locutio Matth. 18. facta cæteris Apostolis restringitur per Christi verba ad sola peccata remittenda, & retinenda, nullo modo vero illa locutio Christi facta Petro Matth. 16. ergo Christus priorem, & majorem dedit potestatem Petro per

per verba: *quodcunque ligaveris, quodcunque solveris* Matth. 16. quam non dedit cæteris Apostolis Matth. 18. per verba: *quacunque alligaverit, quecunque solveris* &c. Ant. p. Illorum ligandi, atque solvendi Apostolis Christus Matth. 18. dedit potestatem, de quibus in citato capite ante hunc versum, & post hunc immediate tractat, sed tractat inibi de peccatis, corectione, emendatione & retentione peccatorum proximi, ergo hæc verba Christi Matth. 18. *quecunque alligaveritis, quecunque solveritis* Facta cæteris Apostolis restringunt eorum potestatem ad sola peccata, nullo modo vero illa locutio Christi Matth. 16. Facta Petro. c. patet: cum potestas per verba Christi data Petro tam absoluta sit, & irrestricta, ut in cit. Matth. cap. 16. ex nulla circumstantia, nullis verbis eam seu antecedentibus, seu subsequentibus limitationi, aut restrictioni exposita videatur, velut est illa Matth. 18. data cæteris Apostolis M. p. Nam Christus ait determinate de corrigendis Fratribus, & remittendis peccatis, Matth. 18. v. 11. enim sic habet: *venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.* v. 14. *Sic non est voluntas ante Patrem destrum, qui in Cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* v. 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum.* v. 16. *Si autem te non audierit, adibibe tecum adhuc unum, vel duos.* v. 17. *Quodsi non audierit eos dic Ecclesie; si autem Ecclesiam non audierit, sic tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et super hoc immediate sequitur data potestas Apostolis remittendi, & retinendi fratrum peccata sequente v. 18. *Amen dico vobis, quecunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo: Et quecunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo,* id est ea: De quibus Christus ante dicit, mandans reduci fratrem peccantem per penitentiam; & post hanc potestatem remittendi, & retinendi peccata cæteris Apostolis datam, v. 21. *accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, gnoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? usque septies?* dicit illi Jesus, non dico tibi septies, sed usque septuagesies septies, atqui hæc omnes locutiones Christi antecedentes, & subsequentes potestatem Apostolis datam a Christo, manifeste indicant non esse universalem, sed ad id determinate accepisse eos potestatem, de quibus Christus in cit: cap. eis loquitur, & cuius remittendi, aut retinendi materiam eis indicat, quæ specificata inibi sunt, nempe: peccata de quibus Petrus querit, impenitentem fratrem, aut emendationem non ferentem habendum tanquam Ethnicum, & Publicanum, ejus videlicet peccata non remittenda, sed retinenda esse per Apostolos, ergo Christus Matth. 18. determinate ait: de reducendis fratribus, retinen-

retinendis, remittendisque peccatis. M. clare habetur cit. Matth. cap. m. declaratur: Si enim exinde ad sola peccata restricta colligitur potestas, quod Christus Joan. 20. dicat: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis* &c. non est ratio, cur etiam restricta potestas non declaretur ad sola peccata, cum Christus loquens Discipulis mentionem solorum peccatorum remittendorum, aut retinendorum facit, & occasione hac sola dicit eis, *quaeunque solveritis, quaeunque alligaveritis*; cur inquam ultra potestas data hæc a Christo se extendere debeat, quam subjecta materia discursus Christi declaret. Hæc tamen ratio non urget circa Petrum, cuius potestatas Matth. 16. ei collata ex nullo verbo, materia, aut circumstantia discursus Christi cum Petro cognosci potest restricta esse ad sola peccata, cum in cit: cap. Matth. 16. nulla prorsus horum mentio, aut restrictivæ circumstantiæ fiat c. ex scripturæ textu clara est.

Confirmatur: juxta Calvinum l. 4. instit. c. 6. n. 8. dicentem: *boc enim fert hominum natura boc ingenium hominum postulat, ut in quibus cætu, etiamsi equeles sint omnes potestate unus tamen sit velut moderator, in quem alii respiciant. Nulla est Curia sine Consule nullus confessus judicium, sine prætore, collegium nullum sine Praefecto, nulla sine Magistro societas*, ergo etiam hoc fert hominum Christianorum natura, hoc ingenium hominum Christianorum postulat, ut in uno universalis Ecclie siæ cætu, unus sit Moderator; in quem alii respiciant, unus Consul sit, qui curiam Ecclesiæ regat, unus Prætor sit, qui subordinatos Ecclesiæ judices moderetur, unus in collegio loco Christi Praefectus, in societate omnium fidelium unus Magister, quem Catholici Vicarium Christi, Pastorem universalem, & Caput Ecclesiæ visibile nominant.

Unde quod Calvinus in toto hoc capite ante pertinaciter negat, ultimata ipsa natura (ut verbis ipsius utar) & ingenio urgente id fateri necessitatur; unde quid ex universa controversia hujus citati capitinis concludere debeam, non superest aliud, quam quod unum, idemque brevi neget, brevi dubitet, brevi transmittat, brevi concedat, more aliorum hæreticorum, quod legenti totum citatum caput l. 4. instit. clare patebit.

Unde tametsi alibi in hoc capite per fas, & nefas perneget Petri primatum, eundem nihilominus clare confitetur post verba antecitata dicentes: *Sic nihil absurdum esset, si fateremur apostolos detulisse Petro talum primatum.* Per quam coactam confessionem unum verum dicit: Petro videlicet delatum esse primatum Ecclesiæ; Alterum vero falsum: Petro videlicet esse delatum Primatum Ecclesiæ ab Apostolis; Nam Apostoli non dixerunt Petro:

Petro: *Pasce oves meas. Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis, quodcumque solveris super terram, erit solutum in Cælis*, ut testatur Ecclesia Catholica in festo SS. Petri & Pauli subjungens verba sequentia: *Dicit Dominus Simoni Petro, ergo a Christo, non ab Apostolis Petrus primatum obtinuit.*

§. IV.

Contra I. Resolutionem argumenta partis adversæ solvuntur.

A Rgumentum I. contra I. Resolutionis partem I. Ecclesia juxta dicta in Argumento primo assimilatur in scriptura: humano corpori, ovili, Regno, exercitui bene ordinato, atqui corpus humanum non patitur nisi unum Caput, ovile unum Pastorem, Regnum unum Regem, exercitus bene ordinatus, unum Ducem, ergo & Ecclesia, sed juxta Apostolum ad Ephes. c. 5. v. 23. *Christus Caput est Ecclesia*, ergo Ecclesia nullum aliud Caput præter Christum admittere potest.

R^e. d. M. Ecclesia assimilatur humano corpori, ovili, Regno &c. quantum ad externum regendi modum c. M. Ecclesia assimilatur humano corpori &c. pure quantum ad internum regendi modum n. M. d. m. corpus humanum &c. non patitur nisi, unum caput interne id regens c. m. non patitur nisi unum caput externe illud regens n. m. & sub data distinctione n. c. subsumptam m. d. Christus est Caput Ecclesiæ, illam per internum gratiarum influxum interne regens c. m. eam simul externe, & visibiliter regens subd. mediante Capite Vicario a se constituto c. m. absque eo n. m. et c. Ecclesia comparatur in scriptura humano corpori &c. non pure quantum ad regimen internum, sed magis quantum ad regimen externum; unde sicut mulier a suo regitur capite interne, & simul externe a capite viri, & præter caput naturale mulieris, quoad gubernium externum testante Apostolo ad Ephes. c. 5. v. 23. *Vir caput est mulieris*, ita & Ecclesia principaliter interne per gratiarum influxum regitur a Christo tanquam Capite suo invisibili, externe vero regitur ab ejus Vicario a Christo sui loco constituto, tanquam Capite secundario visibili.

Instabis: Ecclesia regitur a Christo etiam externe eam gubernante, ergo Ecclesia præter Christum nullum aliud patitur Caput Vicarium Christi. Ant. p. testante Apostolo: *Vir caput est mulieris*, sicut Christus Ecclesiæ, atqui vir caput est mulieris externe eam gubernans, ergo etiam Christus est

Caput Ecclesiæ externe eam gubernans. R. n. a. ad prob. d. M. vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ, quoad ipsam rem capitum principaliter gubernantis c. M. quoad omnem modum gubernandi n. M. c. m. n. c. Apôstolus non parificat in hoc virum cum Christo: quod sicut vir externe regens mulierem ejus caput est, ita & Christus, sed in hoc: quod sicut viro mulier est subdita, tanquam capitum suo principali, cui obedire tenetur juxta illud Gen. c. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, ita Ecclesia subdita est Christo, tanquam Capiti suo Principali, cujus mandatis ab eo revelatis obedire tenetur; sed non loquitur quoad modum regendi, ut sicut vir est caput morale mulieris eam externe regens, ita & Christus tale sit Caput Ecclesiæ, verum comparatio Apostoli in hoc consistit: quod sicut vir principale caput est mulieris, ita Christus Caput est Ecclesiæ, eam non per externum, sed solum per internum gubernium per influxum internorum donorum gubernans, subdit etenim Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vite*; Sanctificatio vero utique per interiorem gratiam habetur.

Urgebis: Apostolus loco citato docet: Ecclesiam Christo subjectam esse, tam in interno, quam in externo gubernio, ergo paritas Apostoli est omnimoda. Ant. p. ibidem habetur v. 24. *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*, & deinde utrumque modum tam internum, quam externum influendi insinuat: *Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vite*, sed sanctificatio est interior, mundatio vero per lavacrum aquæ est exterior influendi modus, ergo Apostolus docet Ecclesiam Christo subjectam esse, tam in interno, quam in externo gubernio.

R. Quod utrumque quidem gubernium comprehendat Apostolus, sed unum immediate, & alterum mediate; unde in influxu interno Ecclesia Christo subjicitur immediate, in externo vero regimine subjicitur illi mediatis ministeris, dona Christi per administrationem Sacramentorum applicantibus; unde sicut mulier, quamvis in omnibus subjecta sit viro suo, non tamen in omnibus immediate; non enim in internis animi motibus viro immediate subordinatur (alias vir hos motus animi causare immediate dicuntur) sed solum mediante causalitate mulieris hos motus ad mandatum viri elicientis, qui ad gubernationem domesticam sunt necessarii; ita etiam Ecclesia, quamvis in omnibus subjecta sit Christo, non tamen in omnibus immediate, sed in externo regimine subjecta est Christo mediate, mediatis videlicet ministeris Ecclesiæ, & maxime mediante eo, cui soli dictum est: *pasce oves meas*; hinc Christus per se non mundat lavacro aquæ in verbo vite

vita, secus quis unquam obtinere posset litteras Baptismales, sed mundat lavacro aquæ per ministros ad hoc destinatos, unde sanctificat per se, mundat vero per lavacrum aquæ per alium.

Argumentum II. Ecclesia testante Apostolo aliud Caput non habet præter Christum, ergo. Ant. probat Apostolus ad Ephes. 4. v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis,* ergo Ecclesia testante Apostolo aliud caput non habet præter Christum. *R.* Hæc & similia, quæ objici possunt scripturæ testimonia, ut debite solvantur, distinguendum est duplex Caput Ecclesiæ, principale unum, quod est Christus Ecclesiam invisibiliter dirigens per internum gratiarum influxum; alterum vero Vicarium ejus Ecclesiam Christi per doctrinam, exhortationes, & externam directionem visibiliter gubernans; unde quando Apostolus vocat Christum esse Caput Ecclesiæ, de Capite primo modo sumpto id intelligit, & hujus ratio manifeste patet ex argumento Apostoli, nam ille principaliter fidem Christi animis recenter converorum inculcare voluit, ergo de primario, & fundamentali Capite, de quo illi adhuc subdubitare potuissent eis loqui oportuit; quid enim profuisset Caput secundarium, & visibile eis prædicare, si primarium agnoscere noluissent? & sic omnes alii tam Scripturæ textus, quam SS. Patrum (qui de hoc subinde dubie loqui viderentur,) solvendi sunt.

Dices: Apostolus ita solum Christum Caput Ecclesiæ prædicat, ut reliqui fideles sint nonnisi membra, sed si daretur Caput aliud Ecclesiæ visibile, non omnes præter Christum essent pura membra, ergo Apostolus solum Christum Caput Ecclesiæ prædicat. M. ex eodem Apostolo ad Rom. 12. v. 5. evincitur: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra,* sed sibi *multi* tam bene comprehenditur: Petrus, Linus, Clemens, quam omnes alii fideles, ergo omnes alii præter Christum sunt nonnisi membra. *R.* Quod dupli modo fideles possint considerari, primo relate ad Christum, tanquam Caput Ecclesiæ primarium per internum influxum donorum Ecclesiam gubernantem; si hoc proinde modo fideles considerentur, omnes sunt æqualiter membra, etiam Petrus, & Summus Pontifex, quia omnes fideles, una, & Pontifices recipiunt gratiam internam a Christo solo, tanquam a Capite principali, nullus vero a Petro, aut Pontifice. Secundo considerari possunt fideles inter se, quatenus per externam gubernationem in unitate fidei continentur, & sic, & Petrus, & Pontifex est quidem, & Caput secundarium visibile regens fideles externo gubernio in virtute Christi, & membrum, sed NB. præcipuum, nam, & in humano corpore caput a

ratione membra non excluditur, cum de ratione capitum sit esse membrum, sed præcipuum; unde tale membrum præcipuum Petrum esse, absque inconvenienti admitti potest, cum id ipsum in citata epistola Apostolus admittat; loquens enim de membris Ecclesiæ, in quibus differunt inter se, cum ante dixisset, in quibus convenientia ita ait c. citato: *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes: sive Prophetiam secundum rationem Fidei, sive ministerium in ministrando, sive, qui docet in doctrina, qui exhortatur exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præfest in sollicitudine;* Ubi Apostolus clare inter specialia, in quibus fideles differunt, nominat unum, qui præfest in sollicitudine, unde tale membrum cum Apostolo lubens Catholica admittit, & veneratur Ecclesia.

Instabis: ergo tali modo Ecclesia erit monstruosum corpus habens duo Capita. R. Hanc monstruosam illationem solvit Apostolus ad Ephes. 5. v. 23. clarissimis verbis dicens: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesia,* unde sicut mulier non est monstrosa, si præter caput suum naturale interne eam regens, aliud caput nempe viri patiatur eam externe dirigens, ita & Ecclesia non erit monstrosa, si præter Caput principale eam interne per gratias regens, aliud Caput nempe Vicarium primarii simul admittat, dictam Eccleiam externe gubernans.

Argumentum III. Ex eo, quod in lege veteri unus genti Judaicæ præfuerit Sacerdos, non recte infertur toti mundo Christiano unum debere præfici Sacerdotem, ergo tametsi in lege veteri unus præfuerit Sacerdos, non sequitur exinde, & in nova lege debere unum identidem præfici Sacerdotem. Ant. probat Calvinus l. 4. instit. c. 6. de primatu Romanæ Sedis. n. 2. Similiter: *Quod in una natione fuit utile, id in universum orbem extendere nulla ratio cogit, imo gentis unius, & totius orbis, longe diversa ratio erit;* ergo ex eo, quod in lege veteri unus genti Judæorum præfuerit Sacerdos, non recte infertur, toti mundo Christiano unum identidem debere præfici Sacerdotem. Ant. loco cit. probat Calvinus: ideo genti Judaicæ: *Unum Sacerdotem præfici erat necesse: quia undique ab Idololatriis septi erant judæi, ne Religionum varietate disperberentur - - - illic unum Antisitem præfecit, quem omnes respicerent, quo melius in unitate continerentur;* Ergo quod in una natione fuit utile, id in universum orbem extendere nulla ratio cogit. R. n. a. ad prob. d. a. quod in una natione fuit utile, id in universum orbem extendere nulla ratio cogit, si in universo orbe eadem non perseverat ratio, quæ fuit in una gente c. a. ex supposito, quod in universo orbe eadem perseveret ratio, quæ fuit in una gente n.

te n. a. et c. Rationem enim ipse Calvinius loc. cit. insinuat: Cur gens Iudeorum ab uno debuerit regi Sacerdote, quia scilicet undique ab Idololatri septi erant Iudei, ne Religionum varietate distraherentur, ideoque illic unum Antistitem praefecit, quem omnes respicerent, quo melius in unitate continerentur, sed eadem prorsus ratio in orbe Christiano perseverat, quia ille undique si non ab Idololatri, certe haereticis plurimis, Turcis, & Iudeis septus est, ergo & genti Christianorum, ne religionum varietate distraheretur, unum praefici necesse est Antistitem, quem omnes respiciant, quo melius in unitate continerentur, ut verbis ipsius Calvini concludatur.

Dices: Juxta eundem Calvinum loco cit: *Mundus totus ab uno Prefecto non debet regi, ergo nec Ecclesia ab uno Antistite regi debet.* R².
 transl. a. n. c. Nam tametsi mundus ab uno regi non exigeret, id tamen nihilominus exigeret Ecclesia; Nam finis regiminis totius orbis est conservatio universi, non quidem secundum individua sua, sed maxime secundum suas species, cum conservatio totius universi per conservationem specierum maxime habeatur, per quod ordo universi relucet, & conservatur; haec autem conservatio tam bene potest fieri a pluribus in id conantibus, quam ab uno. Finis autem Ecclesiae est: conservatio omnium fidelium individuum in unitate fidei a Christo revelata, haec autem conservatio unum exigit gubernatorem, quem omnes alii respiciant, ne Religionum varietate distraherentur, ut citatus ait Calvinus; & probat experientia omnium saeculorum, nam quicunque in hunc unum infallibilem orbis Christiani Moderatorum (cui commissum est Dominici gregis gubernium) non respexerunt, in tot varias haereses abierunt, ut pene quot capita tot sententiae circa veritates revelatas prodierint, quas ad unitatem fidei a Christo revelatam reducere prope desperatum est, nisi unum infallibile Caput Ecclesiae agnoscant, cui commissum est Ecclesiae ovile a Christo dicente: *Pasc oves meas, pasc agnos meos; quodcumque ligaveris super terram, quodcumque solveris super terram, applaudente, & adclamante Ecclesia universa: dicit Dominus Simoni Petro.*

Argumentum contra II. partem I. Resolutionis; Spiritus S. est a Christo sui loco Vicarius Ecclesiae constitutus, ergo Spiritus Sanctus est proprius Vicarius Christi. A. probat Marcus Antonius de Dominis ex textu Joan. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos.* Item c. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacunque dixerim vobis;* Ergo Spiritus S. est a Christo sui loco Vicarius Ecclesiae constitutus.



R. n. a. ad prob. dico: quod missio non significet Vicariatum, cum ^{z.}
qualis æqualem mittere possit; unde misit DEus Filium suum factum ex mu-
liere, factum sub lege, ubi tamen Filius non est Vicarius Patris, cum non
sit minor eo, sed ei prorsus æqualis, & alias de ratione Vicarii est minorem
esse suo Principali, ut patet in Vicariis Regnorum, seu Pro-regibus. Mit-
titur itaque Spiritus S. ad docendum fideles interius per sua dona, quæ
Christus per externam prædicationem docuit; nam cum Christus Apostolis
prædicavit: *Ipsi borum nibil intellexerunt, & erat verbum ipsum absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*, ut habetur Luke 18.
v. 34. Cum vero Spiritus S. illapsus est Apostolis, mysteria revelata non
una solum lingua, verum loquebantur variis linguis Apostoli magnalia
Dei, vulut Acta Apostolorum c. 2. v. 4. & 11. testificantur. Oportuit er-
go Paraclitum mitti ad Apostolos, qui eos interius doceret, ut intellige-
rent, quæ Christus exterius docuit, & prædicavit, ut opus Redemptionis
per omnes tres Divinas Personas compleretur, per Patrem quidem: tan-
quam per rerum omnium Principium, Per Filium, tanquam Divinæ mis-
ericordiæ executorem, per quem facta sunt omnia; per Spiritum Sanctum:
tanquam per completem negotium salutis nostræ, per interiora gratiæ do-
na Apostolis collata. Unde Christus Apostolis de sua passione, morte, &
Resurrectione, ac aliis mysteriis multa prædictis, quæ ipsi tunc non intellige-
bant, ut habetur Luke 18. v. 34. At postquam per internam vocem Spir-
itus Sancti illustrati sunt, cæperunt intelligere, & toti mundo promulgare;
& hoc est quod ait Christus: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in no-
mine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixerim vobis*, (vel portius:
quæcumque dixi vobis, ut habet textus Græcus) id est, quæ a me externa
voce dicta sunt, & a vobis non intellecta, ea intelligitis ex interna suggestio-
ne Spiritus Sancti, qui a Patre mittendus est in nomine meo, id est ad perfec-
tiendam, & consumandam doctrinam meam, quam ex me audistis. At ex
hoc non sequitur Spiritum S. proprie esse Vicarium Christi, non enim est
minor Christo, sed solum ea perfectiori modo Apostolos docuisse per inter-
nam suggestionem, quæ ipsi per externam vocem a Christo audierunt.

§. V.

Contra II. Resolutionem argumenta partis adversæ solvuntur.

Argumentum contra primam partem Resolutionis: Christus unam deter-
minatam Personam sui loco Ecclesiæ non præfecit, ergo dignitas Capi-
tis

ris Ecclesiæ visibilis non est constituta a Christo in una determinata Persona. A. p. Christus sui loco testante Apostolo ad Ephes. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores,* atqui inibi nulla prorsus fit mentio unius determinatæ Personæ, quæ cæteris præcesset, uti tamen oportuisset fieri, ubi de Præpositis Ecclesiæ sermo fit, ergo Christus unam determinatam Personam sui loco Ecclesiæ non præfecit. R. n. a. ad prob. ex Paulo adductam d. M. dedit quosdam quidem Apostolos cum inclusione unius determinati, cui soli specialiter commisit pascere oves suas c. M. cum ejus exclusione n. M. d. m. atqui inibi nulla prorsus fit mentio unius determinatæ Personæ explique c. m. implicite n. m. et c. Apostolus enim loco citato eo modo nominat Apostolos præesse Ecclesiæ, quomodo eos constituit Christus, sed Christus constituit unam determinatam Personam ovilis sui loco Pastorem dicendo soli determinatæ Personæ: *Pasce oves meas, ergo etiam in hoc sensu Paulus, Apostolos datos Ecclesiæ nominat;* Nam Apostolus hic loci non aliud intendit: quam varia munia ad Ecclesiæ perpetuam conservationem a Christo Præpositis collata fuisse; unde quamvis non nominet ibi unum, qui cæteris præest, exinde tamen non infertur, quod unum, qui Ecclesiæ præest non agnoscat, quia non est necesse omnia uno nominare loco, sufficit enim, quod scribens ad Rom. 12. v. 8. eum clare nominet, *qui præest in sollicitudine.* Nam valde infirmum est argumentum: Apostolus non nominat unum Caput, quod cæteris præest, ubi varia munia Ecclesiæ enumerat, ergo tale non agnoscit, quod si enim hæc valet illatio, valebit & hæc: Christus Joan. 10. v. Spiritum Sanctum Deum unum cum Patre, & Filio non nominat, cum dicit: *Ego & Pater unum sumus,* ergo Spiritum Sanctum unum cum Patre, & Filio non agnoscit; Affirmatio etenim unius, non est negatio alterius, ut docet Philosophia, ergo ex eo: quod Apostolus inibi non nominet expresse unum Caput, quod cæteris præest, non sequitur Apostolum dictum Caput non agnoscere. Et eodem modo intelligendus venit textus Apostoli. 1. ad Corinth. 12. v. 28. dicentis: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas,* id est: posuit primum Apostolos, sed cum inclusione unius primo primi, cui specialiter dixit: *Pasce oves meas, non vero cum ejus exclusione,* nam etiam inter primos Duces exercitus a Rege constitutos, unus semper primo primus est, cui alii omnes subordinantur, & qui solus cæteris præest in sollicitudine.

Dices: Christus per voces Joan. 21. v. 17. citatas: *Pasce oves meas,* nil speiale Petro commisit, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ in una determinata

nata Persona non est constituta. A. p. eam potestatem, quam loco cit. Pe-
tro Christus contulit, jam prius omnibus Apostolis simul dedit, ergo Chi-
stus per voces, pasce oves meas, nil speciale Petro commisit. A. p. quod
Christus Petro Joan. 21. v. 17. contulit, id totum jam prius cæteris Aposto-
lis dederat, cum dixit Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mit-
to vos*, atqui Pater Filium misit, ut sit Caput Ecclesiæ, ergo ita etiam Filius
misit Apostolos, ut sint Caput Ecclesiæ, per consequens eam potestatem, quam
Christus Petro loco cit. contulit, jam prius omnibus Apostolis simul dedit.
B. n. a. Nam si per voces: pasce oves meas nil speciale Petro commisit Christus,
quam quod ei jam ante cum cæteris Apostolis contulerat per verba: Sicut mi-
sit me Pater, & ego mitto vos, cur quæso fuit necesse Christo tot circa so-
lum Petrum uti ceremoniis, si Petro nihil speciale committere voluit? quor-
sum enim illa trina interrogatio: Joan. 21. v. 15. *Simon Joannis diligis me
plus bis?* *Simon Joannis diligis me?* *Simon Joannis amas me?* quorsum
triplex illa commissio: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves
meas?* Otiose certe hæc omnia facta fuisse est necesse, si per hoc nihil specia-
le datum est Petro, quod ante datum non fuit. Imo si quod antea meliori,
& ampliori potestate datum est, postea deteriori, & restrictiori potestate con-
cessum sit. Unde ad prob. hujus n. a. ad ejus prob. d. M. sicut misit me
Pater, & ego mitto vos ad prædicandum gentibus fidem in DEum, & pa-
nitentiam c. M. sicut misit me Pater, & ego mitto vos omnes ad regendam
Ecclesiam subd. cum potestate subordinata ad eum, cui specialiter dictum
est: pasce oves meas c. M. cum æquali prorsus regendi potestate n. M. c. m.
& diff. cons. ergo ita, & Filius nullit omnes Apostolos, ut sint Caput Eccle-
siæ subordinatum Capiti, super quod Christus fundavit Ecclesiam suam c.
conf. ut sint Caput Ecclesiæ absolutum, & independens ab eo n. conf. Pa-
ter enim Cœlestis ex duplici fine misit Filium suum, primo: ut prædicet fi-
dem in Deum, & paenitentiam; secundo: ut novæ legis fundet, & regat
Ecclesiam sanguine suo firmandam; quoad primum finem loco Christi in
terris continuandum substituti sunt a Christo Apostoli, ut videlicet: prædi-
cent fidem in Deum, & paenitentiam, quod ex eo clare appetet: nam post-
quam Christus dixit loco cit. sicut misit me Pater, & ego mitto vos, officium
missionis determinat, & restrictæ subinsinuat, testante ulterius immediate
Evangelista: *Hec cum dixisset insulavit, & dixit eis: accipite Spiritum
Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum reti-
nueritis retenta sunt;* Ergo ad hoc solum munus per Apostolos conti-
nuandum, dixit Christus: sicut misit me Pater, & ego mitto vos; unde
ad ea

ad ea sola missi sunt Apostoli a Christo, quorum Christus in contextu mentionem facit, videlicet: ad remittenda, vel retinenda peccata, ut contextus est, cap. clare insinuat. Ast quoad secundum munus, ad regendam vid. & gubernandam universalem Ecclesiam, solus ille missus est: super quem Christus fundavit Ecclesiam universam dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, quod soli uni determinatae Personæ dictum est, & non omnibus aliis; cui insuper soli a Christo est dictum: *Pascere oves meas*, hoc autem soli determinatae Personæ dictum est (ut ex probis datis clarum fit) ergo in hoc: sola una determinata Persona Christo succedit.

Instabis: vox illa *sicut*, est correlativa muneris in Christo a Patre, & Apostolorum a Christo, sed Christus a Patre missus est non solum ad prædicandum fidem in Deum, & pœnitentiam, sed etiam ad regendam, & gubernandam universalem Ecclesiam, ergo etiam Apostolos eodem modo misit. R. d. M. vox illa *sicut*, est correlativa, correlatione similitudinis c. M. correlatione æqualitatis n. M. c. m. n. conf. Sicut Pater misit Filium suum, sic Filius misit Apostolos ad prædicandum fidem in Dcūm, & pœnitentiam; sed quod ad totum Filius miserit Apostolos ad quod ipse missus est a Patre, in hoc similitudo vehementer claudicat, quia si ad omne id eos misisset Filius, ad quod ipse missus est, sequeretur: quod sicut Filius missus est a Patre ut sit essentialie, & primarium Caput Ecclesiæ, donis simul internis gratiæ, fideles suos gubernans, ita & Apostolos cum pari potestate miserit, ut sint caput essentialie, & primarium universalis Ecclesiæ, donis internis gratiæ fideles sibi subiectos gubernans, & sicut Pater Deus Filium Deum misit, ita Deus Filius, Deos Apostolos, in quos fideles credant miserit, unde apparet, quam terribilis in prædicta similitudine Scazon sit, quem Adversarii, quodsi pure animales homines esse velint, si non agnoscere, saltem manibus crassis palpare necessitabuntur, ni crassius delirare velint.

Urgebis: Christus misit Apostolos ad prædicandum gentibus cum æquali potestate, ergo ab eo dignitas Capitis Ecclesiæ in una determinata Persona non est constituta. Ant. p. Christus utilitati gentium ita voluit incumbere Apostolos, ut unus alteri non præcesset, ergo Christus misit Apostolos, ad prædicandum gentibus cum æquali potestate. Ant. probat Lucas c. 22. v. 24. *Facta est autem contentio inter eos*, quis eorum videretur esse major. *Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic*; Et subdit Calvinus l. 4. instit. c. 20. n. 7. *Hanc variam ambitionem eorum, ut com-*

pesceret Deus, eorum ministerium non esse Regnis simile docuit, in quibus inter ceteros unus eminet; Ergo Christus misit Apostolos ad prædicandum gentibus cum æquali potestate. R. n. 2. ad prob. n. a. ad cuius prob. dico, quod textus a Calvinio ad probandum assumptus prorsus non sit ad rem; imo potius mire Catholicam firmat fidem; Nam Christus loco citato non dixit absolute: *vos non dominabimini, non regnabitis, sed dixit: non sic, id est: sicut Reges gentium cum ambitione.* Reprehendit itaque Christus fastum, & ambitionem, commendans humilitatem, non tamen excludit superioritatis gradum, & prærogativam a se institutam; etenim ipsem v. 26. unum inter eos declarat Superiorum dicens: *Qui major est in vobis fiat sicut minor, & qui Precessor est, sicut ministrator,* per quod clare unum dignitate majorem nominat, sed eum majorem esse non vult ambitione, cum hunc, quem inter eos majorem dicit, velit, ut humilitate sit sicut minor; & idipsum Christus suo probavit exemplo Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare;* quo tamen non obstante fuit vere summus Sacerdos, & Caput supremum Ecclesiæ ab ipso fundatæ.

Replicabis: Ipsi met Principes Apostolorum testantur dignitatem Capitum Ecclesiæ in pluribus esse constitutam, ergo illa in uno determinato Capite non est constituta. Ant. tradit. I. S. Paulus Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* Sed Rectores Ecclesiæ sunt Capita Ecclesiæ, ergo dignitas Capitum Ecclesiæ juxta Apostolum in pluribus est constituta. II. S. Petrus Epist. I. c. 5. v. 1. monet: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & iustis Christi Passionum - - - Pascite, qui in vobis est gregem Dei,* atqui consenior dicit æqualitatem, pascere dicit potestatem, ergo haec non in una specialiter Persona, sed pluribus juxta citatos Apostolos est requirenda. R. n. a. ad I. prob. c. M. d. m. sed Rectores Ecclesiæ sunt Capita subordinata supremo Capitu a Christo constituto c. m. sunt Capita absoluta, & independencia n. m. & consl. Si enim non agnosceret Paulus Episcopos esse subordinatum sibi, quam maxime Vicario Christi, qua ex ratione eis præcipit: *Attendite vobis, & universo gregi,* quod præceptum directe stringit eos, quibus imponitur, id est, Episcopos, si enim agnoscit se posse eis mandare, agnoscit & se Superiorum eis esse, cum mandatum alteri dare, non sit nisi Superioris; agnoscit itaque Paulus se ipsis Superiorum esse, non tamen Supremum in Ecclesia, quoniam ei specialiter dictum non est: *pasce oves meas velut*

velut Petro, sed agnoscit se esse Vicarium præcipuum Petri, cuius loco in exercitio maxime munus executus est inter gentes. Id exemplo maxime manifestum fieri potest, nam tametsi Rex aliquis diceret: attendite universo exercitu, cui vos Principes præfeci, non tamen inde sequeretur: Duces æquales Regi esse, & æqualiter Capita fore exercitus cum Rege, & ita in præsenti dicendum venit. Ad II. prob. ex epistola Petri desumptam dico: quod Petrus se nominet conseniorem ex humilitate ad exemplum Christi, qui tametsi Magister fuerit suorum discipulorum, eos tamen persæpe vocat fratres suos; ex quo tamen non sequitur discipulos fore æquales Christo in potestate; ergo neque sequitur seniores alios fore æquales Petro in potestate; quod exinde patere potest: quia eis præcipit: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei;* præcipere autem est Superioris, non æqualis; nec obstat quod Petrus in citata Epistola dicat: obsecro consenior, per quod præceptum strictum illud posset, non enim hoc dicit, quasi eis præcipiendi non haberet potestatem, sed ut id, quod præcipere potest, facilius suam obtineat firmitatem; eo modo, quo Sacerdotes rogare solent suos penitentes, ut præcepta Dei, quæ aliunde observare tenentur, observent.

Argumentum contra II. Resolutionis II. partem. Ecclesia non potest habere fundamentum aliud præter Christum, ergo ex eo, quod Petro dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* non recte infertur: dignitatem Capitis Ecclesiæ in pluribus non esse requiriendam. Ant. tradit Apostolus I. ad Corinth. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est Christus JESUS;* ergo Ecclesia non potest fundamentum habere aliud præter Christum. B. d. a. Ecclesia non potest habere fundamentum aliud primarium, & essentiale præter Christum c. a. secundarium, & Vicarium primi n. a. & cons. Nam sicut non obstante, quod Christus dixerit: *Ego sum lux mundi.* Marci 10. v. 18. Idem cum veritate nihilominus dicere potuit Apostolis Matth. 5. v. 14. *Vos estis lux mundi;* sic etiam non obstante: quod Christus fundamentum se primarium Ecclesiæ posuerit, potuit nihilominus insuper super eam petram ædificare Ecclesiam suam, cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Dices: Christus super Petrum Ecclesiam suam nullo modo ædificavit, ergo Petrus nec secundarium fundamentum Ecclesiæ dici potest. Ant. probat S. P. Aug. serm. 13. de verbis Domini, & Tract. ultimo in Joan. ubi aperte fatur per petram a Christo nominatam, non Petrum, sed Christum intelligendum esse dicens: *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam*

eclesiam meam; Sed Petrus non est confessus se, sed Christum, ergo Christus super Petrum Ecclesiam nullo modo ædificavit. B. n. a. ad prob. dico: quod S. Pater in textu citato non loquatur de textus sensu litterali sed accommodatio, quia idem textus per se pluribus in diversis sensibus accommodari potest, juxta placitum utile recte accommodantis; vel si intelligendus est in sensu litterali, loquitur S. P. de fundamento & Petra primaria, de qua scribens in Psal. 86. hæc habet: *Fundamentum Christus primum, & maximum, - - - quem insuper paulo post: Fundamentum Fundamentorum appellat; ubi autem S. Pater explicat textum hunc, in sensu a Scriptura intento, longe aliter sentit, nam scribens in Psal. 69. clare dicit: Petrus qui paulo ante Christum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Ecclesia - - - Item serm. 15. de Sanctis, qui est de Cathedra Petri ait: Denique pro soliditate devotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur eo, quod primus nationibus fidei fundamenta posuerit - - - Nec obstat: quod l. 1. Retract. c. 21. utrumque probabile esse admittat dicendo: *h*arum *a*utem *d*uarum *s*ententiarum *q*ue *s*it *p*robabilior *e*ligat *l*ector: Id tamen primatui Petri minime prejudicium est, eundem enim pene omnibus aliis locis S. Pater nobiscum confitetur; clare enim dicit suam mentem Tract. in Joan. 56. *Q*uis *n*esciat *p*rimum *o*mnia *A*postolorum *e*sse *b*eatissimum *P*etrum - - Item l. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 1. ait: *Q*uis *n*esciat *i*llum *P*etrum *A*postolatus *P*rincipem, *c*uilibet *E*piscopo *p*referendum - - Et in hoc sensu aliorum Patrum textus etiam sumendi sunt, qui subinde de Christo intelligere se dicunt Scripturæ textum citatum; loquuntur enim de fundamento primario; vel in sensu a Christo ad litteram non intento, sed in sensu accommodatio.*

Instabis: Ecclesia non in solo Petro ædificata est, sed in omnibus aliis etiam Apostolis, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ in omnibus Ecclesiæ Pastoribus, aut saltem majori eorum parte est requirenda, a. p. Fundamentum Ecclesiæ non in solo Petro, sed in omnibus Apostolis est requirendum, ergo & Ecclesia non in solo Petro ædificata est, sed in omnibus aliis etiam Apostolis, a. p. ex Apocalypsi 21. v. 14. ubi dicitur Ecclesia: *M*urus civitatis *h*abens *f*undamenta, & in *i*psis duodecim *n*omina duodecim *A*postolorum *A*gni. Item ad Ephes. 2. v. 20. dicitur: *S*uper *e*dificati *s*uper *f*undamentum *A*postolorum, & *P*rophetarum, ergo fundamentum Ecclesiæ non in


in solo Petro, sed in omnibus Apostolis est requirendum. q. d. a. Ecclesia non in solo Petro ædificata est, tanquam in fundamento absoluto excludente prædicationem, & ministerium aliorum Apostolorum c. a. tanquam in fundamento post Christum Vicario præsidente prædicationi, & ministerio aliorum n. a. & c. Etenim quamvis cæteri Apostoli sint etiam fundamenta Ecclesiæ præcipua, comparative ad labores, quos fecerunt, & Ecclesiæ propagationem, in qua omnes strenue laboraverunt, non tamen sunt fundamenta æqualia quantum ad gubernium, & jurisdictionem, quia eis omnibus æqualiter dictum non est: *Pasce oves meas; Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam;* Sed id soli uni determinatæ Personæ a Christo specialiter dictum est, velut ex ante dictis fit manifestum. Unde tripliciter Apostoli dici possunt fundamenta Ecclesiæ: Doctrina videlicet, Prædicatione, & Ecclesiæ regimine; Doctrina: quia eam, quam a Christo hauserunt, toti orbi primi post Christum annuntiarunt; Prædicatione: quia in diversis orbis partibus suæ curæ commissam, quivis fundavit, & rexit Ecclesiam; hinc unus fundavit, & rexit Ecclesiam Ephesi, aliud Alexandriæ, aliud Romæ, & sic de cæteris, cujus ipse Paulus mentionem facit ad Rom. 15. v. 20. *Sic autem predicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum edificarem,* id est: in provincia alteri Apostolo commendata. In his itaque duobus cæteri Apostoli sunt æqualia Ecclesiæ fundamenta cum Petro, quia doctrina, & prædicatione suam unusquisque Ecclesiam fundavit, & rexit, & suas sibi oves concreditas in unitate fidei a Christo revelatæ continuuit. In munere vero gubernandi Ecclesiam universalem Petro pares non fuerunt, cum hoc munus nullibi aliis Apostolis sit commissum, quod commissum est specialiter soli Petro, ut toties dictum est, & claret ex Gregorio magno l. 4. Epist. 52. dicente: *Evangelium scientibus liquet, quod Beatissime omnium Apostolorum Principi Petro Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa sit;* Ex quo sequitur Apostolos gubernatores quidem Ecclesiarum fuisse suarum, sed semper cum subordinatione ad Petrum; & exinde patet responsio ad authoritates ex Scriptura in proba positas; possunt enim vere Apostoli modo dicto fundamenta Ecclesiæ vocari, quamvis unum inter eos fundamentum sit præcipuum; sicut vere vocantur in Scriptura Apostoli fundamenta, super quæ alii fideles sunt superædificati, uti habetur loco citato objectionis, quamvis Apostolus ad Cor. 3. ante itidem citatus dicat: *Fundamentum alius nemopotes ponere, preter id, quod positum est Christus Iesus.*

Replicabis: Si Petrus fuisset fundamentum Ecclesiæ speciale, & præcipuum

pium loco Christi positum, debuisset ipse jurisdictionem suam in totam Ecclesiam aliquando exercuisse, atqui hujus in Scriptura ne vestigium quidem habetur, ergo Petrus non erat fundamentum Ecclesiae speciale, & præcipuum. M. patet: nam id monstrari debet, vel jure ei competere, vel ex facto constare debet dictam specialem gubernandi potestatem exercentis. m. p. Prima definitionem controversiæ, quæ orta erat inter fideles inter se dissentientes non fecit solus Petrus, sed æqualiter omnes Apostoli, atqui si Petrus fuisset fundamentum Ecclesiae speciale, & præcipuum loco Christi, debuisset exemplo Christi ipse suam præcipuam jurisdictionem solus exercere indirimenta prima definitione controversiæ propositæ, ergo quod Petrus sit fundamentum Ecclesiae speciale, & præcipuum hujus ne vestigium quidem in Scriptura habetur. M. p. Actor: siquidem 15. v. 6. dicitur: *convenierunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc;* & v. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis,* atqui hic nulla prorsus singularis mentio fit Petri in dirimenda controversia hac, uti tamen necessum fuisset, si ille Caput præcipuum hujus cætus fuisset, sed mentio fit exercitæ jurisdictionis in dirimenda hac controversia omnium seniorum ergo primam definitionem controversiæ, quæ erat inter fideles inter se dissentientes non fecit solus Petrus, sed æqualiter omnes Apostoli, per consequens: Petrus non erat fundamentum Ecclesiae speciale, & præcipuum loco Christi positum. R. c. M. n. m. ad prob. n. M. ad ejus prob. c. M. d. m. nulla prorsus singularis mentio fit Petri in dirimenda controversia hac ex supposito: quod Adversarii totum citatum caput, aut nunquam legerint, aut exercitam a Petro jurisdictionem clare inibipositam videre noluerint c. m. quod absolute in citato capite nulla singularis mentio fiat n. m. &c. c. Familiaris enim admodum ars est hereticorum, cæcos sequaces decipiendi, textum, qui ad eorum gustum est, animis seductorum ob oculos ponere, & contextum, qui totum gustum destruit, non proponere, sed eum occultare, ne nequitiam suam prodere cogantur. Et enim Petrus, & jure exercuit hanc præcipuam potestatem (quod jus a Christo accepit dicente: *pasce oves meas*) & facto in conventu Seniorum exercito, dum Petrus in conventu Seniorum primus solus præcipuam jurisdictionem exercuit, velut contextus capitii citati clare docet; nam questio inibiposita erat hæc, ut habetur Actor: 15. v. 5. *Surrexerunt autem quidam de heresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidere eos,* præcipere quoque servare legem Moysi. Super quam quæstionem sequitur iudicium in capite citato positum: *convenierunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc;* post quod sequitur iudicium controversiæ decisivum: *Cum autem*

* * *

autem magna contentio fieret: id est: quid in re ancipiendi definiri deberet; Surgens Petrus, dixit ad eos: *viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per OS MEUM audire gentes verbum Evangelii, & credere.* - - Nunc ergo, quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum, & illi. Ecce sententiam controversiarum definitivam tacuit autem omnis multitudo - - & postquam tacuerunt: respondit Jacobus dicens: *viri fratres audite me: SIMON narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo.* Et huic concordant verba Prophetarum. In quo citato textu Petrum exercere jurisdictionem controversiam adductam cathegorice definiendo, credo nemo non videt alius, nisi is: qui hunc textum aut sua vita non vidit, aut videre ex malitia noluit; loquitur enim Petrus factum, & decisum singulare de sua Persona singulari decisionem concludente cum dicit: *DEUS in nobis,* id est: omnibus Senioribus elegit non cæteroruim Seniorum nomine, sed *per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere;* post quod controversiam solus definitivit: *nunc ergo, quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum;* ubi quis non videt Petrum: exercere jurisdictionem a Christo collatam sibi, ubi contrariae partis propugnatores increpat, eisque jugum legis Mosaicæ imponere Discipulis Christi prohibet. Et post hæc dicta Petri: respondit Jacobus dicens: *viri Fratres audite me, non quidem definientem æqualiter cum Petro, sed sententiam ejus promulgantem: Simon narravit, quemadmodum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum;* qua promulgatione, & conclusione facta per Jacobum Sententia Petri, sequitur: totius Concilii judicium v. 28. *visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nil ultra imponere vobis oneris;* quod judicium dictatum est a Spiritu Sancto per os Petri loquentis, & Solius definientis cætu Seniorum, qui in hæc verba unanimiter, & in hanc Petri definitionem conspirarunt; ex quo manet: Petrum tanquam Caput concilii primum solum, Spiritu Sancto dictante hanc controversiam principaliter definitissile, & per hoc præcipuum jurisdictionem exerceuisse, definiendo nempe controversiam propositam, hac definita præcipiendo omnibus, & singulis: jugum legis Mosaicæ gentibus non imponere, imo imponi prohibere, qui sunt præcipui effectus legis, cuiilibet legislatori, ac Superiori competentes.



Urgebis: Cum Luthero de potestate Papæ: non urget hac consequentia: super Petrum est edificata Ecclesia, ergo Petrus est Rector ejusdem, ficuti nulla est hæc illatio scilicet: supra fidem est edificata Ecclesia, ergo fides est Rector Ecclesie. Hanc illatiunculam non bene inferri non tam ex scriptura, quam ex tripode Apollinis hausisse videtur Lutherus; unde si hanc evincere vult clare ex Scriptura non inferri, admittere, & debet hanc clare ex Scriptura non inferri: Super Christum fundata est Ecclesia, ergo Christus est Rector ejusdem; unde potius sic recte infertur (si Philosophus esse cupit) ex Scriptura: Supra Christum fundata est Ecclesia tanquam super fundamentum primarium, ergo Christus est Rector ejusdem primarius; quo admissio illatio sic fieri potest, ergo etiam cum teste Scriptura supra Petrum fundata sit Ecclesia tanquam super fundamentum Vicarium Christi, Petrus est Rector ejusdem loco Christi; quo posito instantia illationis optime cohæret cum sua præmissa, & hac posita legitime infertur: supra fidem est edificata Ecclesia tanquam super regulam a Christo revelatam, ergo fides est Rector, seu regula ejusdem. Fides enim proponit, quid fideles credere debeant fide Divina, seu complectitur summarium revelationum Divinarum, ad quæ credenda fideles tenentur. Pertus vero est Rector Ecclesiæ dirigens fideles, quomodo credenda, quæ fides docet, in exercitio sint intelligenda, atque servanda; unde fides est: regula credendorum; Petrus vero instructor horum (quæ fides credenda proponit) intelligendorum; regula etenim fides est, Magister regulæ Petrus.

Quæstio incidentalis I. An ergo ad Ecclesiæ perpetuam conservationem ita sit necessarius Rector unus ejusdem, qui fideles in unitate fidei contineat, et non superfit melior modus per quem meliori modo Ecclesia in unitate fidei perpetua conservari possit? R. Si loquendum sit de modo connaturaliori Ecclesiam in unitate fidei conservandi, affirmative; nam si alias melior modus Ecclesiam conservandi fuisset, utique eum in Ecclesia sua Christus instituisset, quam perpetuam esse decrevit, pro cuius tamen conservatione perpetua, necessarium fuit modum gubernandi perfectissimum assumere. Insuper eundem gubernandi modum Christus utique suo exemplo commonestrasset; cum itaque Christus in terris degens solus tanquam principale caput visibiliter suam rexerit Ecclesiam, excludendo aliorum cum pari potestate regimen, sequitur: meliorem modum non dari connaturaliori modo se se accommodando, quam per unius gubernium dictam perpetuam Ecclesiæ conservationem procurandi. Et probat experientia omnium retro sæculorum; quod fideles tamdiu in unitate veræ fidei conservati fuerint, quamdiu

diu unius supremi in Ecclesia Rectoris judicio se submiserunt; quod quam primum excusserunt tot monstra hæreseos adduxerunt, ut de Ecclesiæ conservatione actum fuisset multoties, si universæ portæ inferi prævalere possent adversus eam; necessarium itaque vere est unum in Ecclesia dari Rectorem ejusdem, cum suprema in terris potestate, ne multitudo cum pari potestate gubernantium pariat in universali Ecclesia confusionem.

Quæstio incidentalis. II. An ergo absolute ad Ecclesiæ perpetuam conservationem, ita sit necessarius unus Rector ejusdem, qui fideles in unitate fidei contineat, ut repugnet absolute absque eo Ecclesiæ conservationem in unitate fidei haberi? R. Si loquendum sit non de modo connaturaliori, sed absoluto, quo Deus potest suam Ecclesiam in unitate fidei conservare, non ita esse absolute necessarium, ut eandem plures cum pari potestate regere non possent; Nam decisio primæ quæstionis non fundatur in regimine absoluto, quod Ecclesia, vel quælibet Respublica in omnibus circumstantiis habere potest, sed fundatur in exigentia connaturali, & institutione Christi. Christus enim tale in Ecclesia regimen instituit, quale Ecclesia, & omnis alia Respublica pro perpetua sui conservatione connaturalius exigit; quod autem conservatio Ecclesiæ, & cuiusvis Reipublicæ connaturalius exigit regimen unius, quam plurium cum pari potestate gubernandi, patet: nam dum plures cum æquali potestate regunt, facile inter eos, ob infirmitatem naturæ humanæ, oritur diversitas judiciorum, atque voluntatum cum summo periculo Reipublicæ primum scindendæ, dein prorsus destruendæ, ut tantarum Rerum publicarum ruina pro teste est; unde sicubi valet, certe hic maxime valebit illud: frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. In casu tamen proposito si Christus vellet Ecclesiam gubernari per plures cum pari potestate, ne Ecclesiæ conservatio perpetua, ruinam minetur, deberet in casu simili Christus omnes infallibiles reddere, atque efficere, ut in omnibus sit: cor unum, anima una, mens una, voluntas una, quorum unus alter de rebus fidei sentire non posset, quam alter; qui tamen modus non tam apte connaturalis est naturæ fragili, & ad malum pronæ, nisi infirmitas hæc per Dei specialem providentiam cum tot multiplicatis miraculis conservetur. Magis itaque ad perpetuam Ecclesiæ conservationem aptus modulus gubernandi est per unum Rectorem, qui solus infalibilitatem decidendi fidei dubia habeat, solisque specialem Spiritus Sancti assistentiam, ut in duabus fidei fideles, una ac fidelium Præpositi, eum consulere, perque ejus infallibilem decisionem de rebus fidei (quomodo nam intelligendæ sint) certi esse valeant.

QUÆSTIO PRINCIPALIS.

Quodnam illud sit Caput Ecclesiæ Christi.

Ante ejus decisionem bene notanda est quæstio proposita Præliminaris, in qua sat abunde demonstratum est Ecclesiæ regimen esse Monarchicum, quod necessario unum determinatum Rectorem, & Gubernatorem exigit, atque adeo plures gubernatores cum pari potestate excludit; quo primum dicendum remanet in specie, quodnam illud unicum visibile Caput Ecclesiæ sit?

Romanum Pontificem Petri Successorem, tanquam universalis Ecclesiæ Caput a Christo in Petro fundatæ, universa antiqua venerabatur Ecclesia; quod in primis statim Conciliis dilucide declaravit. Nam Concilium I. Nicenum relatum a Chalcedonensi Concilio Act. 16. profitetur id dilucide: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*; quæ sententia tamdiu in Ecclesia pro indubitate habita fuit, usquedum ambitio Constantinopolitanorum Patriarcharum per funestum Schisma Duce maxime Photio Patriarcha violenter loco S. Ignatii legitimi Patriarchæ instruso, eam sententiam ex Ecclesia Christi eliminare attentasset, dum legitimos Petri successores, ex possessione legitima, autoritate Christi in Petro instituta, Petri regimine legitime inchoata, & aliquot sæculorum pacifica possessione firmata per Petri successores Romanos Pontifices, eosdem nihilominus ex possessione prædicta deturbare attentavit; qui Imperatorum partim Schismaticorum, partim hereticorum freti autoritate per fas, & nefas Primatum universalis Ecclesiæ arrogare sibi tentarunt, inibi Caput Ecclesiæ constituere volentes, ubi Caput Imperii suam sedem constituisset; quasi vero Caput Imperii, & Caput universalis Ecclesiæ ab iisdem principiis oriretur. Quod Schisma per aliquid schismaticos Patriarchas protractum est, cum summo fidelium danno, dum universa Christi Ecclesia partim per hæreses, partim perschismata in materia Religionis orientem ab occidente divisum ingemuit, donec tandem ex permissione Divina dictam ambitionem Græcorum punientis, orientale florentissimum Imperium, & caput Imperii, & Schismaticum Caput orientalis Ecclesiæ una cum toto Imperio amisisset; cum quo identidem tota adversus legitimos Petri Successores prætensio ante dicta corruerit. Cujus idcirco cum sæculis nostris nullus sit propugnator, non vacat etiam ut aliquis sit oppugnator, cum controversia hæc una cum Imperii potentia desierit, & ad manus infidelium pervenerit, ægre reassumenda. Aliud tamen ejus loco, ei tamen longe adhuc magis dissimile Ecclesiæ Caput pro-

du-

duxit saeculo XV. Henricus VIII. Rex Angliae, qui ut libidini sua magis, quam utilitati Ecclesiae prodesse posset, postquam per sententiam excommunicationis a communione fidelium se separatum vidit, seipsum legitimi Ecclesiae Pastoris posthabita ratione, excommunicata per Schismatis Ecclesiae Anglicanae, excommunicatum caput (inaudito ab orbe Christiano condito ausu) constituit; quod per adulatores sibi faventes defendi fecit, veteris, novique Testamenti textibus abutens, e quibus id unice evincere cupiebat: suum, hactenus in Ecclesia inauditum primum Ecclesiasticum authoritati Divinæ, sacraeque scripturæ consonum fore; ut suo exemplo ceteros Christianos Principes ad exemplum, & sui imitationem, contra legitimum in terris Christi Vicarium concitaret, & manuduceret. De quo porro, quid Christiano homini sentiendum veniat, resolvet questionis proposita.

SECTIO I.

AN dignitas Capitis Ecclesiae à Christo constituta sit in aliquo Principe saeculari? seu an Primatus in spiritualibus, in universam, aut saltem sua ditionis Ecclesiam competat alicui Principi saeculari.

Authorem, & causam vidimus tum Schismatis, tum Capitis Ecclesiae Anglicanæ, nunc de ejus progressu agendum venit, antequam nostra stabilitatur Resolutio; cuius proinde succinctam notitiam dabit sequens:

§. I.

Synopsis historica circa progressum Capitis Ecclesiae Anglicanæ.

DEfuncto itaque in Schismate Rege Henrico, in jus Regium, una ac Primatum Ecclesiae Anglicanæ successit Edvardus Filius Henrici, ex Joanna Seymoura tertia Conjuge Regis, qui vi testamenti paterni haeres Angliae Regni transcriptus est; Is porro, cum Regnum ob annorum teneitudinem (utpote novennis) administrare impar esset, cura administrandi Regni delata fuit tutori ejus præcipuo Edvardo Semerio, qui Edvardum juvenem Zwinglii dogmate infici, & instrui curavit, & per hoc omnes haeresum fortes in Anglia Regnum, alias Catholicissimum, invexit. Verum eo paulo post vita functa, Catholicam rursus fidem in Anglia promovendam ex integro curavit Maria Filia Henrici, ex Catharina Hispanica, prima, & legitima Regis Henrici Conjuge nata, inque locum Eduardi ab Henrico Patre testamento substituta Regni haeres. Huic nihilominus pien-

tissimæ, & zelosissimæ Reginæ sine prole defunctæ, illico Elisabetha, illegitimo Henrici Octavi ex Anna Bolena thoro nata, mali Patris pessima soboles, omnium consensu Ordinum successit; quæ ut primum vidit: Pontificem ob natalium vitium eam Regno ineptam declarantem, ad eam insaniam se præcipitem egit: ut quod nec in gentibus dedecus animadversum notatur, id ipsa inaudito facto attentavit, dum se: Supremum in Spiritualibus Ecclesiæ Anglicanæ Caput salutari jussit; ac (velut Sanderus in Schismate Anglicano testatur) ab omnibus juratam fidem dicti articuli exegit tenore sequenti: *Ego A. B. prorsus testificor, & declaro in conscientia mea, Regnam esse solam supremam Gubernatricem, & istius Regni Anglia, & aliorum omnium sue Majestatis Dominiorum, & Regnum, non minus in Spiritualibus, atque Ecclesiasticis causis, vel rebus, quam temporalibus; & quod nemo externus Princeps, Persona, Prelatus, Status, vel Potentatus, aut jure habet aliquam jurisdictionem, potestatem, Superioritatem, præminentiam, vel autoritatem Ecclesiasticam, aut spiritualem in hoc Regno. Ideoque plane renuntio, & repudio omnes forinsecas jurisdictiones, potestates, Superioritates, atque Authoritates.* Insuper, quod magis ridendum est: Supremam in Ecclesia potestatem sibi arrogavit, qua Episcopos, & Sacerdotes crearet, Concilia cogeret, de summis fidei capitibus non cognosceret modo, sed & decerneret, universamque in spiritualibus jurisdictionem a se unica, tanquam unico Capite Ecclesia Anglicanæ dependere pronuntiaret; nempe tales Episcopos, & Sacerdotes, tamque Ecclesiam non aliud decebat Papa. Cum proinde S. Pius V. Pontifex videret malum indies augeri, Regnumque Angliæ alias in fide Catholica florentissimum ex Schismatico totaliter jam in hæreticum deflexisse Elisabetha procurante, eandem proinde Regio nomine, & honore excidisse pronuntiat, omnesque subditos sacramento illi dicto absolvit A. 1570. quam sententiam dein Gregorius XIII. confirmavit, & Sixtus V. magis insanientem in dies fæminam, denuo maledicto Ecclesiæ universæ subjicit. Eam nihilominus fastu Regio arrogantem fæminam, post tot funestas strages a se patratas (quas Sanderus author prope cœvus enarrat) hæretici ejus Papatum, & vestigia pedum sequentes, in Sanctorum Album, expuncto Conceptionis Immaculatæ Virginis festo, reposuerunt; ut ita Ecclesia suo Papæ, Canonizatio suæ Ecclesiæ, & sancta declarata suæ Canonizationi ex integrō accordaret. Quam postmodum Capitis Ecclesiæ Anglicanæ dignitatem excepit An. 1603. Jacobus hoc nomine IV. Scotorum, Anglorum vero I. Rex, cui utopte Mariæ Stuartæ obtruncata filio hæreditario jure Regnum utrumque debe-

debebat. Et is Primatus Ecclesiæ Anglicanæ, una cum suo juramento a subditis præstanto, hactenus in Successoribus Regni perseverat; verum num jure, vel potius injuria declarabit ponenda Refolutio, ante cujus positio-
nem pro statu quæstionis totaliter intelligendo venit.

Not. I. Quod ex natura rei nullus determinate constitutus sit, ut sit Ca-
put Ecclesiæ, cum natura permissive se habeat ad omne individuum legitime in Ecclesiæ Capitis dignitatem evectum; necessum itaque est: illi Ca-
piti, quod determinatum est ad regendam Ecclesiam, aliquo ex jure digni-
tatem eam competere, seu dein jure naturali, seu Divino, seu humano sal-
tem; secus quoniam pacto pro Capite Ecclesiæ se quis statuere poterit, si
dignitas ea nullo jure ei competit? Unde si Caput Ecclesiæ determinatum
statuendum sit, demonstrandum erit: quo jure ei id competit, & quænam
potestas ei in Ecclesia universa, vi hujus dignitatis attribuenda sit? Sed ne
confusio oriatur in principio quæstionis, certa ab incertis separanda sunt;
occasione quorum sequitur:

Not. II. Præsentem quæstionem non esse: de primatu Regum in tem-
poralibus, eum etenim, absque omni controversia, quemlibet Regem in
suo Regno habere tradit manifeste Jus Gentium. De Primatu itaque solo
Ecclesiastico, seu de potestate Ecclesiastica totalis quæstio est. Triplex au-
tem datur potestas Ecclesiastica: una Ordinis, altera jurisdictionis interio-
ris; tertia jurisdictionis exterioris. Prima spectat ad Sacraenta confi-
cienda, & ministranda, ut sunt Baptismum, & Sacros Ordines conferre,
Eucharistiam tum confidere, tum ministrare, chrisma, & oleum infirmorum
benedicere. Secunda spectat ad regendum populum Christianum in
foco conscientiæ, ut est: jus dicere in foco conscientiæ, absolvere, ligare.
Tertia demum spectat ad eundem populum regendum in foco exteriori, ve-
luti: Synodum convocare, in ea præsidere, constitutiones condere, dubia
fidei decidere, causas Ecclesiasticas audire, & cognoscere, beneficia conser-
re, ministros Ecclesiæ constituere, delingentes excommunicare, ac deni-
que in summa: omnium causarum, & controversiarum, quæ ad fidem, &
Religionem pertinent Judicem agere. Quando ergo queritur: an Rex,
vel aliquis Princeps politicus in suo Regno aut Provincia habeat Primatum
Ecclesiæ? ita intelligenda est quæstio: an videlicet habeat triplicem illam
potestatem excellentiori modo, quam Episcopi, & Pontifex? vel an supra
eos in triplici illa potestate collocandus sit?

Not. III. Inter hæc porro tria quæsita, duo certa sunt, unum in con-
troversia; Primo certum est: Regem Angliæ non appropriare sibi potesta-
tem Ordinis, multo minus in ea Superiorum esse Episcopis, aut Pontifice;

non enim est ordinatus, & consecratus ad Sacra menta confi cienda, & ministranda, velut de se patet; Neque etiam Rex hanc potestatem se habere prætendit, cum perbelle noscat: quid in simili casu dictum sit Ozia Regi.

2. Paralip. 26. v. 18. *Non es tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad bujuscemodi ministerium.* Secundo æque certum est: Regem non habere potestatem jurisdictionis interioris, quæ in absolvendo, & ligando consistit. Non enim Regibus, sed Apostolis, & Sacerdotibus dictum est: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remissa sunt eis & quorum retineritis retenta sunt, quoniam his solis propterea dictum est, & non Regibus: euntes in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ.

Tota igitur controversia versatur circa potestatem jurisdictionis exterioris, an videlicet: Rex in suo Regno supra omnes Episcopos, & Pontificem habeat jurisdictionem exteriorem, & sit supremus Judex Ecclesiasticus; qui sua authoritate a nullo alio in terris dependente possit convocare Synodos, iisdem præsidere, controversias fidei, & Religionis dirimere, beneficia conferre, Episcopos constituere, & deponere, contumaces excommunicare, & similes Religionis actus exercere. Id enim est habere Primum in Ecclesia, Caputque Ecclesiarum esse quoad externam gubernationem. Circa quod prævie venit adhuc

Not. IV. Quod hic quæstio sit de jure Regum ordinario, id est: qua Regum, quod jus alicui Regi ex vi officii Regii competit. Nam quod ex speciali Dei ordinatione, & privilegio Rex aliquis supremum Caput Ecclesiarum universalis, aut quilibet sui Regni Caput Ecclesiarum a Deo specialiter ita disponente constitui possit, id extra controversiam est; cum Deus in regenda externe præsertim Ecclesia alligatus absolute non sit ad unum numerum Sacerdotum Caput Ecclesiarum suarum constituendum. Imo in Rege aliquo utramque supremam dignitatem & Ecclesiasticam, & Regiam conjungere potest; illud enim non implicat potentiam Divinam, & defacto utramque dignitatem & spiritualem, & politicam Deus conjunxit in Moysè, & Machabæis in veteri testamento, & in Romano Pontifice, ac aliis Episcopis suarum terrarum Dominis in testamento novo, ubi Pontifex præter jus spirituale, quod habet pro tota Ecclesia, habet insuper jus, & primatum politicum pro ditionibus ad se pertinentibus; Unde in simili casu minime disputaretur: Utrum similis Rex a Deo specialiter Ecclesiarum præpositus, posset de rebus Religionis ministerium supremum exercere, aut Caput Ecclesiarum supremum esse. Verum quoniam novissimis temporibus nobis locutus est Deus in Filio suo, quidcirca hoc fieri velit, & non logitur amplius nobis

nobis in Prophetis suis, velut olim, sequitur: eum, & ejus successores Caput Ecclesiaz Christi loco statuendum esse, quem Christus ipsemet determinavit, nominavit, & Ecclesiaz Pastorem præfecit; Unde quæstio non remanet de possibili, sed de ipso facto resolvenda.

Not. V. Cum porro his omnibus non obstantibus Anglia Reges duce Henrico VIII. contra manifestam institutionem Christi, semetipso Caput Ecclesiaz Anglicanaz constituere velint, ipsis monstrandum incumbit: quo jure dicta dignitas Ecclesiastica eis competit; non enim est potestas nisi a Deo; neque etiam potestas aliqua in terris potest competere alicui, nisi aut per collationem potestatis ab habente autoritate conferendi sibi specialiter attributam, aut a jure, vel privilegio, tali homini, familiæ, aut officio præscriptam; unde si Caput supremum in spiritualibus se se agnoscit velint Reges, demonstrare debent: aut sibi a Christo id specialiter commissum esse, aut certe jure seu naturali, seu Divino, seu humano legitimo Regibus dictam spiritualem potestatem competere, cum status politicus ex natura rei non sit essentialiter connexus cum statu spirituali; sicut ordo naturalis non est ex natura rei essentialiter connexus cum ordine supernaturali, unde is fuisset in suo ordine perfectus, & perfecte gubernatus, si status naturæ puræ a Deo conditus fuisset, tametsi ad statum supernaturalem elevatus non fuisset.

Not. VI. Quod Primum prædictum in spiritualibus, non solum Anglia, sed & alii defendant hæretici, qui more suo omnia libenter circa quæstionem propositam admittent, & Regem, & puerum Eduardum, & feminam Caput Ecclesiaz suæ esse, penesque ipsos omnes de rebus fidei judicariam remanere potestatem, dummodo eum ab hoc solum excludant, cui id a Christo specialiter commissum est, quia unica, & sola veritas a Christo revelata apud ipsos odium parit. Id enim luculente tradit Lutherus in epistola ad Christianam nobilitatem Germaniaz in Concone de Sacramento Altaris, & in Conventu Schmalchaldico sub An. 1537. in quo cum cæteris ministris sancivit; *Judicandi de Religione, nedum apud Pontifices, sed Reges, & ceteros ordines residere potestatem.* Brentius sacram legum secutus Magistrum in Prolegomenis ait: *Ad Reges pertinet impian doctrinam ex animo detestari, & crudeles hypocritas severe punire &c. quod facere non possunt, nisi cognoverint, & judicaverint prius, qua sit pia Doctrina - - - Cujus persuasione Dux Wittembergensis statim principatum Ecclesiasticum sibi arrogavit, deque rebus fidei judicia exercuit, velut constat ex confessione Wittembergensi. Ast? an jure, vel potius injuria id Principibus politicis competit inquirendum superest. Cui controverſia*



versæ bina satisfaciet Resolutio, demonstrans: Principi sæculari, aut mere politico neque ex institutione Christi, neque ullo jure Primatum Ecclesiasticum competere; sit igitur:

§. II..

Resolutio I.

Dignitas Capitis Ecclesiæ a Christo non est constituta in aliquo Principe mere sæculari, quod idem est, ac: Primatus in spiritualibus in universam, aut cuiusvis ditionis Ecclesiam non est a Christo collocatus in aliquo Principe mere politico.

Argumentum I. Implicat promissiones factas a Christo non impleri, atqui Christus dignitatem Capitis Ecclesiæ solis Apostolis, & Episcopis promisit, & contulit, nullibi vero Principibus mere politicis, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ a Christo non est promissa, aut collata alicui Principi mere politico. M. probat Christus Lucæ 21. v. 33. dicens: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* m. p. tripliciter, primo: ex institutione, & testimonio Christi. Secundo: ex testimonio Apostolorum. Tertio: ex praxi, & facto primævæ Ecclesiæ. Ac in primis ex institutione Christi, ejusque testimonio: Christus in tota Scriptura novi testamenti, ne minimam quidem facit mentionem potestatis in Ecclesiam Regibus concessæ, sed solum Petro, & Apostolis, quos Rectores, & fundamenta Ecclesiæ suæ instituit, ergo Christus nulli Principi mere politico Primatum in spiritualibus in Ecclesia promisit, aut contulit, sed solum Apostolis, & Episcopis. a. p. Christus nulli Principi mere politico dixit Joan. 21. v. 22. *Pasce oves meas.* Item Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam - - Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris, quodcumque solveris.* Et Lucæ 22. v. 32. *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Item Joan. 20. v. 23. *Accepit spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* atqui Christus per hæc dicta solum Petrum, & postea Apostolos, Rectores, & Pastores Ecclesiæ instituere voluit, quibus id unice dixit nulla facta mentione Principum mere sæcularium. ergo Christus in tota Scriptura novi testamenti ne mentionem quidem facit hujus potestatis Regibus concessæ, sed solum Petro, & Apostolis, quos Rectores, & fundamenta Ecclesiæ suæ instituit. M. patet: cum Christus in citatis textibus non Regibus, sed Petro in præsencia aliorum Apostolorum lucutus sit soli, velut clarum fiet

* * *

fiet Scripturam citatis locis inspicienti. Unde gratis etiam admisso quod Calvinus in resolutione 2. Quæstionis Præliminaris refutatus prætendit: id non soli Petro, sed & omnibus Apostolis in præsentia Petri, & ejus persona, dictum manere; sequetur enim ex hoc, admisso gratis, & libere: non solum Petrum, sed & omnes Apostolos esse Capita, & Rectores Ecclesiæ; verum hoc unice secuto, & gratis admisso, per quamnam quæsto claram consequentiam id de Regibus inferent hæretici, qui toto nisu clamant: nihil esse credendum quod aut clare in scriptura non stat, aur per claram consequentiam ex ea, non deducitur? Quodsi dictam illationem clare ex his textibus inferri somniare volunt, & somniare clare mihi licebit: dictum Christi Apostolis: *quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis, ad Reges extendi posse, cuius tamen con sequentia, ne unum quidem vestigium ab orbe Christiano condito superest, cum nullus Princeps politicus ne unum quidem peccatum contra Deum commissum dimittere, aut absolvere attentarit, uti vere attentare potuisset, si ea Potestas ex citatis Christi verbis clare inferri unquam potuisset.* m. vero p. per illa verba Christus Rectores, & Pastores Ecclesiæ instituere voluit, per quæ eis dedit potestatem Ecclesiam gubernandi, at qui per verba Scripturæ citata solis Apostolis, & non Regibus dedit potestatem suam Ecclesiam gubernandi; Petro quidem irrestrictam, & ad universalem Ecclesiam se extendentem; Apostolis vero, ad particulares regendas Ecclesiæ, & peccata sola remittenda, aut retinenda, nulla facta mentione Regum, aut Principum mere politicorum, ergo Christus per citata verba solum Petrum, & postea Apostolos Rectores, & Pastores esse voluit, & instituit, quibus id unice dixit, nulla facta mentione Principum mere sæcularium. M. patet: siquidem tunc aliquis tum in politicis, tum in spiritualibus in aliqua Republica Rector, & Gubernator constituitur, cum ab habente autoritatem, accipit alios gubernandi potestatem. m. est testimonium Christi; Con sequentia tuta ex his manet: nulli Principum mere politicorum Primatum in spiritualibus a Christo aut promissum, aut collatum esse, sed eundem datum fuisse soli Petro, & Apostolis modo supra dicto, & eorum successoribus.

Probatut m. principalis II. ex testimonis Apostolorum. Christus, atque Spiritus Sanctus solos Apostolos fundamenta Ecclesiæ instituit, solis Apostolis, & Episcopis regendi Ecclesiam potestatem dedit, nulla facta prorsus mentione in regimine Ecclesiastico Regum, ergo Christus juxta testimonium Apostolorum nulli Principi mere politico potestatem in spiritualibus in Ecclesia aut promisit, aut contulit. a. docet Apostolus, qui sapient de structura, & fundamenis Ecclesiæ agit, nusquam vel minima mentione facta Regum, aut Principum sæcularium, sed ejus fundamenta solum aut Apostolos, & Prophetas, aut Episcopos nominat; sic enim inquit Act. 20. v. 18. *Attendite vobis, &*

universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei ; At p[ro]p[ter]e Reges non sunt (qua Reges) Episcopi , ergo Christus ; & Spiritus Sanctus Reges non posuit regere Ecclesiam Dei , per consequens Reges non sunt Rectores Ecclesiarum Dei ; si ergo non sunt Rectores Ecclesiarum , quomodo quae[m] erunt supremum in Ecclesia Caput ? M. est dogma Apostoli . m. est clara , nam tametsi Reges nascantur , non tamen nascuntur Episcopi ; cum Episcopus non fiat quis nativitate , sed sola assumptione , & consecratione . c. patet : si enim Reges non sunt Episcopi , quos solus spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei ; qualis igitur Spiritus posuit regere Ecclesiam Dei Reges , qui sibi id arrogant?

II. Apostolus nominat ad Ephes. 2. v. 20. quod fideles sint : superedificati super fundamentum Apostolorum , & Prophetarum , ipso summum angularem lapide Christo Iesu ; at qui hic nulla prorsus mentio fit Regum , uti tamen maxime fieri oportuisset , si illi principale Caput structuræ Ecclesiarum essent , super quod principaliter fideles superedificati dicuntur , ergo ex testimonio Apostoli Christus solos Apostolos fundamenta Ecclesiarum instituit , solisque regendæ Ecclesiarum potestatem dedit , exclusa omni potestate Regum . M. est testimonium Apostoli ; minorem si Adversarii admittere nolunt , baptizent , necesse est : sub quoniam in citato Apostoli textu termino , vel somnium de Primatu Regum contineatur , quod quamdiu non produixerint , manebit deducta proximilla ex textu Apostoli in sua legitima possessione . c. legitime sequitur .

III. Testimonium ponit Apostolus Ephes. 4. v. 11. ubi Hierarchia Ecclesiastica gradus , atque dignitates enumerat , inquiendo : Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos , quosdam autem Prophetas , alios vero Evangelistas , alios autem Pastores , & Doctores ad consumationem Sanctorum , in opus ministerii , in edificationem corporis Christi ; in quo loco toto edificatio corporis Christi per enumeratos ministros recensetur ; verum Primatus Regii , qui maxime ad hanc edificationem pertinere debuisset , videbatur Apostolus vere fuisse oblitus ; in quo tamen textu indicatur , & edificatio , & opus ministerii , & consumatio Ecclesiarum Sanctorum ; verum per quos ? per Apostolos , Prophetas , Evangelistas , Pastores , Doctores ; at qui hic ne minima mentio Regis fit , ubi recensentur omnes , qui ad hanc consumationem Sanctorum pertinent , ergo Reges , aut Principes mere politici non sunt instituti , teste Aopstolo , in edificationem corporis Christi , & consumationem Sanctorum in opus ministerii . sed soli ab Apostolo in citato textu recensiti . M. est dogma Apostoli ; minorem , aut doceant clare in Scriptura inveniri , aut per claram consequentiam Primatum Principis mere politici deducant ; secus consequentia tenebit . Di-

Dices : inde clare deducitur id , quod queritur : quia inter dignitates ab Apostolo recensitas clare ponuntur : Pastores dati Ecclesiæ in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi ; ergo ex textu citato per claram consequentiam deduci potest : Regem, tanquam supremum Ecclesiæ Anglicanæ Caput, esse supremum Pastorem in spiritualibus in suo Regno. *R. d. a.* inter dignitates ab Apostolo recensitas ponuntur Pastores dati Ecclesiæ in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, illi videlicet : quibus Apostolus Act. 20. v. 28 præcipit : *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* & quos S. Petrus Epist. I. c. 5. v. I. monet : *Seniores, qui in vobis sunt -- pascite, qui in vobis est gregem Domini* *c. a.* inter dignitates ab Apostolo recensitas ii ponuntur Pastores, quos Henricus VIII. & Elisabetha ex illegitimo thoro nata filia excoigitavit n. a. & c. Nam si omnia per claram ex Scriptura consequentiam deduceta credera tenentur, deducant quæso id ex Apostolo dicente: quosdam dedit Apostolos, quosdam dedit Prophetas, ergo Reges sunt summi Apostoli, sunt summi Prophetæ; item quosdam dedit Evangelistas, quosdam autem Doctores, ergo Reges sunt summi Evangelistæ, sunt summi Doctores? credo, quod id ipsum, quod adversarii optarent esse, non admittent; ergo pariter: quo pacto admitti potest? quosdam dedit in Ecclesia Pastores, ergo Reges in spiritualibus sunt Pastores Ecclesiæ; sicut enim Apostolus in citato textu loquitur de veris Apostolis, Prophetis, & Evangelistis a Christo constitutis, non vero de Principibus terræ, ita & loquitur de pastoribus, non de Regibus, sed quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quos Christus ovili suo præfecit. Unde, quæ hæc quæso consequentia? Paulus dicit: *& ipse dedit alios Pastores, & Doctores in edificationem corporis Christi,* ergo Princeps mere secularis est supremum in spiritualibus Caput Ecclesiæ; concordet pace mea hæc duo quis vult, ego hæc duo cohærere prorsus non video. Satius certe, & rectius ex hoc antecedenti inferam: Paulus dicit, *& ipse dedit alios Pastores,* ergo baculus stat in angulo; cum saltem hæc inepta consequentia non tam præjudiciosa futura sit saluti fidelium, quam eorum ex hoc textu tam violente extorta, qui prætensem, imo nullum in spiritualibus Ecclesiæ Primum, ex Scriptura nunquam demonstrandum, inferre tentant, majorem siquidem Pastor spiritualis connexionem habet cum baculo, tanquam signo potestatis, quam habeat potestas politica cum potestate spirituali, cuius una alterius prorsus nullum signum est.

Confirmatur a ratione sententia resolvens quæstionem: In Ecclesia Christi (ut est videre in citato Apostolo) est legitimus ordo, & Hierarchia, in qua:

sunt Apostoli, alii fideles, alii Prælati sunt, subditi alii, alii Pastores, ali oves, alii in fundamento, alii superædificati supra fundamentum, alii Doctores alii discipuli; jam: vel ergo Reges includuntur in hac Hierarchia tanquam Prælati, & Primates, vel tanquam subditi? si hoc posterius, salva res est, & evanescit totus Primatus Principum sæcularium; si primum: necesse est, Reges majori præditos esse potestate, quam Apostolos, & Episcopos; nam si parem, aut inferiorem cum illis habent potestatem, qua ratione dici possunt Primates, & summa Ecclesiæ Capita in spiritualibus? cum ipse terminus: *Primas supremum Caput Ecclesiæ præminentiam potestatis significet?* non enim sola denominatione, sed una, jurisdictione se Primates, & suprema Ecclesiæ Capita statuunt. Quodsi nihilominus se majorem Episcopis, & Apostolis habere potestatem dicunt, hæc procul dubio a Christo ipsis concessa est. Verum a ferto nudo nullus crederet: nisi doceant, ubi, aut quibus verbis, id eis Christus concessit, aut ubi Apostoli in suis scriptis hujus potestatis meminerunt a Christo Regibus concessæ? nam & Christus ipse, & omnes Apostoli loquuntur de Apostolis primum, dein de Prophetis, Evangelistis, Pastoribus, Doctoribus: de Regibus silent omnes; Solus Sacellanus, & Tookerus dicit: rem ita se habere. Verum: *An a vobis inquit Apostolus I. Corinth. 14. v. 36. Verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* Quodsi pervenit ad eos solos, pandant quomodo? aut saltem ea, ut fideles omnes credere possint, & teneantur illa: de quibus, & Christus, & altum silent illi, quorum *in omnem terram exiit sonus.* Ps. 18. v. 4. Qui insuper per universum orbem: *annuntiaverunt opera Dei* Ps. 63. v. 10. Secus quis crederet humano dicto fidem Divinæ? cum: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10. v. 17. Quod quamdiu non produixerint, manebit in sua pacifica possessione inconclusa veritas per Apostolos universo orbi annuntiata: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiæ Dei.* Act. 20. Igitur: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* I. Petri 5. Nam: *qui vos audit, me audit;* Lucæ 10. v. 16. quodsi non audierit: *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus;* ipso Christo cum clare condemnante. Math. 18. v. 17. Unde viderit Sacellanus, & Tookerus, quomodo Primum Ecclesiasticum Regis contra tam claras revelationes Sacrae Scripturæ salvabit, ne in condemnationem ab ipso Christo latam superium Ecclesiæ Caput una secum inducat.

Dices: Per Doctores ab Apostolo citato nominatos possunt cum veritate, & fundamento & Reges intelligi, cum eos Doctores Ecclesiæ esse non implacet, ergo & cum veritate, & fundamento clare Reges intelligi possunt Pastores

res Ecclesiæ esse, cum eos Pastores Ecclesiæ esse non implicet. Ex. Hanc oppositionem in N. 4. jam prænotatam esse, & statum propositum quæstionis, in quo prænotatur: statum quæstionis non esse: an Reges dici possint Doctores, & Pastores Ecclesiæ de absoluta Dei potentia, seu an a Deo institui possint? hoc etenim inibi admissum est, si quæstio oriatur Metaphysica de rerum possibilitate; verum quæstio pro nunc est: de ipso factō, an videlicet, sicut absolute constitui possunt, ita revera a Christo constituti sint? possibilitas etenim ultro admittitur ex ratione in citato N. posita; ex hac tamen possibilitate admissa factum minime inferri potest, cum facti ne vestigium quidem in Scriptura reperiatur, ex qua unice id demonstrari debet; unde sicut: quamvis Princeps mere politicus Doctor Ecclesiæ fieri possit, non tamen ullus hactenus a Deo constitutus, aut ab Ecclesia declaratus est; ita similiter: quamvis Princeps sæcularis Pastor Ecclesiæ fieri possit, & constitui a Deo, nullum tamen Deus hactenus in Ecclesia instituit; cum facti exemplum hactenus ab adversariis cum fundamento demonstratum non sit, nec etiam demonstrabitur, utpote omnibus scripturæ adminiculis, & testimoniiis destitutum. Imo hoc non obstante, dispar longe ratio est: alicujus Doctoris in Ecclesia, ac Pastoris; sicut alia longe ratio est Doctoris Juris, & Juris Judicis; siquidem, ut Doctor aliquis sit Ecclesiæ, non indiget peculiari ad hoc potestate, & jurisdictione, dummodo docere valeat, & instruere alios in rebus fidei, prout ipse edocet; ut autem sit pastor Ecclesiæ non sufficit, ut alios regat simpliciter, verum regendi alios debet habere jus, potestatem, & jurisdictionem, ab eo, qui potestatem supremam habet, aut saltem ad hoc delegatam. Id enim manifeste Christus docuit, cum suomet exemplo, insuper, & authoritate Petrum ovili suo præfecit dando ei jurisdictionem super oves per verba: *Pasce oves meas.* Sicut Iudex non per hoc sit Judex, quod judicare possit, sed per hoc: quod judicandi potestatem ab habente autoritatem ipsi commitendi, habeat, obtineatque; sic Pastor non sit per hoc Pastor Ecclesiæ, quod pascere possit, sed quod pascendi potestatem, una ac jus habeat Prob. m. principalis III. ex praxi, & facto Ecclesiæ post ascensionem Christi ab Apostolis gubernatae; Ad gubernativam potestatem in spiritualibus pertinet: Ecclesiam gubernare, Synodum convocare, eidem authoritative præfidere, sententiam definitivam ferre, leges constituere, Episcopos instituere, contumaces excommunicare, causas admittere, ac decidere, & delinquentes punire; atqui hos actus jurisdictionis in primitiva Ecclesia non fecerunt Reges, sed soli Apostoli, & Episcopi, ergo soli Apostoli, & Episcopi habuerunt potestatem gubernativam Ecclesiæ, non vero Reges, & Principes mere sæculares. M. patet ex N. 3. cum enumerata etiam juxta prætensum Ecclesiæ Anglicanæ Primum, sint signa, & executio po-



testatis gubernativæ ; & alia Reges aliam in Ecclesia jurisdictionem , & potestam non affectent præter prædictam , hac sola , & unica contenti , si ipsis competeteret . m. probatur quoad singula : ac in primis , quod non Reges , sed Episcopi sint positi ad regendam Ecclesiam Act. 20. traditur : *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Synodum primam Hierosolimis convocarunt Apostoli Act. 15. v. 6. convenerunt Apostoli , & seniores videre de verbo hoc . Huic synodo authoritative præsedid Petrus v. 7. Surgens Petrus dixit ad eos - - - *Deus in nobis elegit per OS MEUM audire gentes verbum Evangelii , & credere;* Super quod sententiam definitivam tulit Petrus : *Nunc ergo , quid centatis Deum , imponere jugum super cervices Discipulorum , quod neque Patres , neque nos portare potuimus.* v. 10. Legenu tulerunt soli Apostoli . v. 20. *Abstineant se a contaminationibus Simulachrorum , & fornicatione , & suffocatis , & sanguine.* Episcopos instituerunt Apostoli . I. ad Titum . 4. v. 14. Corinthium incestuosum excommunicavit Paulus : *Congregatis vobis , & meo spiritu cum virtute Domini nostri IESU Christi , tradere hujusmodi Satana in interitum carnis,* I. Corinth . 5. v. 3. Causas admittere , & decidere præcipit Paulus Episcopo , scribens ad Timotheum . v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere , nisi sub duabus , aut tribus testibus.* Delinquentes in causa Ecclesiastica : Ananiam , & Saphiram punivit Petrus Apostolus . Act. 5. v. 3. Atqui hic ne umbra quidem miscat facti , aut potestatis a Regibus factæ , sed a solis Apostolis , & Episcopis , ergo hæc omnia , & singula actus jurisdictionis spiritualis concernentia non fecerunt Reges , sed soli Apostoli , & Episcopi . M. est testimonium Scripturæ facta specificata referentis , de quo si quis dubitat : omnia fideliter citatis locis inveniet ; minorem si quis in dubium verit , inferat quæsto ex hac præmissa conclusionem : ergo per Reges id temporis potestas citata exercita fuit ; & erit mihi vere magnus Apollo . Quod si per evidenter consequentiam concludere non potest ; optime faciet : si evidenti præmissæ assensum præbuerit , & aliam vere violentam consequentiam per funes trahere non somniaverit . Per consequens manet dictum totum in salvo : nulli Principi sæculari potestatem spiritualem competere , aut ex institutione , & testimonio Christi , aut ex testimonio Apostolorum , aut ex praxi , & facto primævæ Ecclesiz . Proinde ex nullo capite , Caput Ecclesiæ prætensus subsistere potest .

Dices : quod eo tempore nulli Reges fuerint Christiani , qui Ecclesiæ gubernare , atque hæc officia præstare potuissent , cuius proinde alia ratio est modo . Verum t. hæc prorsus voluntaria , & absque minimo fundamento esse dicta . Nam si tunc nullus fuit Rector Ecclesiæ ? sequitur per tria prope sæcula

la (in quibus sub Imperatoribus Ethnicis gemebat Ecclesia) suo debito Capite Ecclesiam caruisse; ac per hoc Christum Ecclesiam suam confusam, imperfectam, inter tot persecutiones maxime necessario post se reliquisse, cui tamen promisit, quod: nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Ex quo testimonio Christi admisso, non videtur; quomodo hæc duo ad invicem cohærent. Imo vero habuit tunc Ecclesia Caput politicum Romanos videlicet Imperatores, qui eam more Henrici, & Elisabethæ gubernarunt, persequendo nempe Ecclesiam Christi, destruere, & annihilare volendo, fideles occidendo, suppliciis crudelissimis, exiliis, inedia, carcerum squalore macerando; unde si hunc forte primatum in Ecclesia Reges, & Primates Ecclesiæ Anglicanae prætendunt, in hoc non Christo, sed Imperatoribus in regenda, vel potius destruenda Ecclesia succedere eos oportet. Imo si Christus Principes politicos jam tunc Caput Ecclesiæ esse voluisse, oportuisset eosdem ad fidem a se prædicatam, & per Apostolos toto orbe disseminatam convertere; Nam potuit persecutorem Summum Ecclesiæ Saulum subito in vas electionis immutare, quem propterea ad portandum gentibus nomen suum destinaverat, cur non simili modo egit cum Tyberio, Herode, ut eos ad regendam suam Ecclesiam destinaret? per quos sane (utpote potentia, & authoritate præditos) facilius & connaturalius fidei Christianæ propagationem obtinere potuisset. Quod cum Christus non fecerit, suamque Ecclesiam non armis, & potentia, sed veritatis prædicatione, verbo, & exemplo propagari voluerit, sequitur: aliud Caput sui loco Ecclesiæ Christum delegisse, cui commisit gregis Dominici gubernium dicendo: *Pasce oves meas;* Penes quod, & successores ejus in tot persecutionibus mansit, manebitque usque in mundi finem incorrupta fides, quoniam pro ea sola Christus specialiter oravit, ut non deficiat. Frustra igitur præter hoc, aliud Caput Ecclesiæ, querit Ecclesia Anglicana in suo territorio.

Argumentum II. Christus non tantum non instituit, sed & exclusit a regimine sua Ecclesiæ Principes mere politicos, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ a Christo non est constituta in aliquo Principe mere politico, sed determinata in solis Apostolis, & eorum Successoribus. a. p. Christus non tantum non instituit, sed & exclusit formam regendi in Ecclesia Principum mere politorum, atqui ubi excluditur forma regendi, ibi excluditur & in specie ipse Rector, ergo Christus non tantum non instituit, sed & exclusit a regimine sua Ecclesiæ Principes mere politicos. a. probat Christus Lucae. 22. v. 25. dicens: *Reges gentium dominantur eorum -- vos autem non sic; sed qui maior est fiat sicut minor, & qui Precessor est, fiat sicut ministrator;* in quo textu

textu novum modum, & novam formam gubernandi, & regendi Ecclesiam per Majorem, & Præcessorem in Ecclesia assignat, excludendo eam formam gubernandi, qua Reges, & Principes gentium regunt, per verba citata: *Vos autem non sic*; id est: more, & forma gubernandi Regum; atqui ubi nova forma gubernandi, & dominandi assignatur, ibi excluditur non tantum vetus, & prior forma regendi, sed & una ipse antehac Regens, ergo Christus non tantum non instituit, sed & exclusit formam regendi in Ecclesia Principum mere sacerdotalium, aut politicorum. M. est dogma Christi, cuius commentarius declaratur: nam Christus a regimine, & gubernio absolute abstine-re non voluit; non enim dixit: vos absolute non dominabimini, excludendo Apostolos ab omni prorsus Ecclesiæ gubernio, & dominatu; sed dicit: *vos autem non sic*, id est, sicut Reges gentium, sed dominabimini alio modo, & alia for-ma regendi; per quod Christus, & aliam formam, & alios, & novos Ecclesiæ Rectores constituit, cum Rectorem clare nominet: *qui major es*, id est: in-ter vos, *sicut sicut minor*; & *qui Præcessor es* dignitate, *sicut sicut ministrator humilitate*. m. p. ab exemplis similiter: quando v. g. forma gubernandi Monarchica mutatur in Aristocratiam, aut Democratiam, & vicissim; non tantum forma gubernandi vetus, & prior excluditur, sed & priores Regentes Reipublicæ (ut patuit in institutione Reipublicæ Romanæ, in qua Brutus, & Tarquinius Collatinus Consules Romani præfecti sunt moderatores, Tarqui-nii Superbi Regis Romanorum ultimi, & expulsi ob stuprum Lucretiæ loco) nisi tamen priores Regentes ad novæ formæ regendæ dominium denuo afflu-mantur, velut tamen Reges gentium assumpti non sunt a Christo ad regendam novitet a se fundatam Ecclesiam, sed potius exclusi, cum eorum loco Major, & Præcessor nominatus sit a Christo ex Apostolis, quibus id Christus loquitur; quem tamen non obstante ejus præminentia, & dignitate, vult parem nr- hilominus reliquisse humilitate; ergo cum a Christo in Ecclesia sua nova for-ma regendi assignata sit, exclusa forma regendi Regum etiam ipsi Reges, & Principes mere politici ab hoc regimine exclusi sunt a Christo, & eorum loco unus ex Apostolis reliquis Major, & Præcessor a Christo in sua Ecclesia nomi-natus est. Unde sicut Ecclesiam suam Christus non posuit sub statu mere po-litico, sed ex hoc per fidem supernatalem ad statum altiorem eam transtulit, ita etiam non posuit eam sub Rectore mere politico, sed ab hoc munus regendi Ec-clesiam transtulit, & altiori Personæ, nempe Apostolo a se nominato eam regen-dam mandavit; super quem solum Christus Ecclesiam suam, tanquam super funda-mentum ædificavit. Manet ergo consequentia firma: ergo Christus non tantum non instituit, sed & exclusit formam regendi in Ecclesia Prin-cipum

cipum mere secularium , aut politicorum , consequenter , & exclusit ipsos Principes mere politicos.

Confirmatur : Ubi excluditur forma gubernandi in politicis , aut spiritu-alibus , excluditur eo ipso hujus exclusa formæ gubernandi Caput , ergo cum in Ecclesia sua Christus excluderit formam gubernandi Regum , exclusit & hu-jus exclusa formæ gubernandi Caput . A. patet . Nam si prius Caput ad re-gendum juxta novam formam Rempublicam denuo noviter assumatur , non manet politice prius , sed fit novum regiminis Caput ; cum teste Philosopho:- tunc mutatur Respublica , quando forma gubernandi mutatur , qua mutata necesse est , & Caput moraliter mutari ; quia sicut in naturalibus a forma na-turali specificatio provenit totius compositi una cum parte directiva , & prin-cipali subiecti ; ita in politicis , & moralibus a forma regendi morali , & poli-tica specificatio provenire debet totius regiminis Reipublicæ , una cum suo Capite gubernativo , & principali . Consequentia exinde sequitur : cum Christus aliam formam gubernandi Apostolis præscriperit , & Regum formam imitari prohibuerit dicendo : *Vos autem non sic* ; Ejus contrarium pro Pri-matu Angliae Adversariis restat ostendendum , non quidem ex voluntario capite suo , sed summo , & primario , ac infallibili Capite Christo JEsu depro-mptum , & nobis per verba ejus clare manifestatum ; secus fidem honesti viri non merebuntur .

Argumentum III. Ipsa Veritas æterna (cujus : *Iota unum , aut unus a-pex non preteribit a lege , donec omnia fiant*. Matth. 5. v. 18.) clare testa-tur Matth. 5. v. 17. *Nolite putare , quoniam veni solvere legem , aut Pro-phetas , non veni solvere , sed adimplere* ; Atqui lex vetus exclusit a regimi-ne in spiritualibus Reges , & Principes mere politicos in Synagoga , ergo & Christus in novo testamento , qui venit legem , & Prophetas adimplere , & perficere , exclusit a regimine in spiritualibus Reges , & Principes mere poli-ticos . M. est testimonium Christi . Etenim si Christus in lege nova Prima-tum in spiritualibus , & Ecclesiasticis a summo Sacerdote novi testamenti abstul-lisset , & eum ad personam mere politican transstulisset , & in ea univisset , non perfecisset , & adimplevisset legem , aut Prophetas , sed potius legi novæ ali-quid perfectionis detraxisset , & sua Ecclesiae regimen prorsus confusum insti-tuisset ; cum unus , humano modo , & politica , & omnia Ecclesiastica dirigere sit insufficiens , ni ad extraordinaria miracula sine omni prorsus necessitate faci-enda Christum adigere Adversarii velint , cuius tamen nullum prorsus in Scrip-tura habetur fundamentum ; imo contrarium multis in locis reperitur ; & con-gruum est : nam sicut status politicus a statu Ecclesiastico , & persona politica

a personis Ecclesiasticis toto statu differunt, ita & capita cuiusvis status distinguo oportuit, & non confundi. in probatur ex Paralip. 2. c. 19. v. 11. in quo assignatur officium Regis, quodnam sit, & officium summi in spiritualibus Sacerdotis distinctum a priori. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Ubi quæso hic in spiritualibus superioritas, & præcedentia Principis mere politici invenitur? Quod si suam querant superioritatem Principes mere politici, eam, quæ ad eos pertinet eodem versu specificatam invenient: *Porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent,* atqui hic clare tum Sacerdos ab officio Regis ex institutione Divina, tum Dux ab officio Sacerdotis, & Pontificis excluditur, cum ad vitandam officiorum confusionem cuivis determinate peculiare suum officium, & munus designetur, in quo quis ex eis præsidere, ac per hoc supremus esse debeat, ergo lex vetus exclusit a regimine in spiritualibus Reges, & Principes mere politicos in Synagoga; per consequens (nisi adversarii admittere velint: quod Christus legem veterem per suam legem gratiæ non adimpleverit, & perfecerit, sed potius per adimplensionem veteris, novam legem confusam post se reliquerit) admittere necessitabuntur: Christum in lege nova, figuræ veteris legis completiva, & ordinatori modo ab eo constituta: exclusisse Reges, & Principes mere politicos a regimine Ecclesiæ in spiritualibus, veluti exclusi erant in lege veteri; Per quod Monarchia Ecclesiastica Anglicanæ Ecclesiæ, absque omni fundamento structa in arena seipsa ruit,

Confirmatur: in lege veteri, ceu figura, & umbra novæ, præter Duces, qui officiis Regiis præerant, eaque gubernabant, erat à Deo constitutus unus summus Sacerdos, qui in his, quæ ad Deum pertinent, præsideret; ergo etiam in lege nova, ceu figurato, & veritate longe perfectiori præter Principes, qui officiis Regiis præerunt, & ea gubernabunt, a Christo constitutus est unus summus Sacerdos, qui in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Si etenim in nova lege Christus ad distinctionem statuum, & officiorum, distinctionem una Capitum, & Præsidentum non fecisset; non tantum lex nova perfectior non esset in hoc præ veteri, sed insuper summæ confusione maxime obnoxia foret Ecclesia Christi, ob impotentiam moralem gubernantis, tot per semetipsum distincta officia, & munia juxta institutionem legum tam politicarum, quam Ecclesiasticarum regere, & gubernare non facile valentis.

§. III.

Resolutio secunda.

Dignitas Capitis Ecclesiæ alicui Principi mere politico non competit. I. Jure naturæ ; II. nec jure Divino veteris , aut novi testamenti ; III. nec jure Civili, aut Canonico ; IV. neque consensu doctorum hominum, V. neque denique jure , & titulo præscriptionis. Nollo igitur jure Primatus in spiritualibus in universam , aut cuiusvis ditionis Ecclesiam Principi mere politico competere potest , quem ab hoc omnia jura legitime excludunt.

Argumentum partis primæ : Potestas mere politica non est ex jure naturæ potestas spiritualis , ac Ecclesiastica , cum de se ab invicem separari possint , & se ad invicem prorsus disparate habeant , neque se excludendo , neque se exigendo ergo dignitas Capitis Ecclesiæ alicui Principi mere politico non competit , jure mere naturali. a. p. Finis specificans potestatis mere politica , non est ex jure naturæ finis specificans potestatis spiritualis , & mere Ecclesiastica ergo potestas mere politica non est ex jure naturæ potestas spiritualis , ac Ecclesiastica. a. p. Finis potestatis mere politica est : Conservatio Reipublicæ per pacem , & tranquillitatem inter subditos a regimine Principis mere politici procurata ; finis vero potestatis spiritualis , & Ecclesiastica est : Beatus a eterna per conservationem omnium in unitate fidei a fidelibus obtainenda , atqui conservatio Reipublicæ , paxque , & tranquillitas vitæ naturalis , non est ex jure naturæ beatitudo a eterna obtainenda per unitatem fidei a Christo revelata , ergo potestas mere politica non est ex jure naturæ potestas spiritualis , ac Ecclesiastica. M. patet : nam status diversi differunt præcipue penes finem principalem , ad quem primario tendunt ; nominati vero fines non tendunt ad se , aut se exigunt ex jure naturæ , ita ut ubi unus est , alterum inveniri sit necesse , cum utique unus sine altero absolute stare possit. m. declaratur : Etenim conservatio Reipublicæ , paxque , & tranquillitas vitæ naturalis , potuit prorsus eodem modo ut nunc consistere , si homines in statu naturæ puræ conditi fuissent , in quo tamen jus naturæ totum id habuisset , quod exigentia naturalis requirit , quin tamen in hypothesi hac status naturæ puræ per unitatem fidei a Christo revelata ad beatitudinem a eternam obtainendam ordinatus fuisset. c. claret : Siquidem separabilitas est signum distinctionis , distinctio autem destruit identitatem , velut non tantum Philosophia naturalis , sed ratio insuper tota naturalis clamat.

Cum ergo jure naturali Princeps mere politicus potestatem spiritualem in Ecclesia non habeat, cum potestas mere politica, & spiritualis ex natura rei se non exigant, & distinctæ sint, separabilesque, & non nisi jure seu Divino, seu humano conjungibiles; videndum porro restat: num potestas in spiritualibus salem jure Divino, vel humano sit adnexa in Regibus politicæ potestati, id porro præstabit demonstrans id Regibus jure veteris testamenti non competere:

Argumentum partis II. Potestas spiritualis jure Divino testamenti veteris est solis Sacerdotibus adnexa, ergo potestas spiritualis in Ecclesia non competit Principibus mere politicis jure Divino testamenti veteris. a. p. Aggxi. 2. v. 12. dicitur: *Hec dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem;* ubi non dicit interroga Regem. Malachiæ 2. v. 7. habetur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirunt ex ore ejus;* quia Angelus Domini exercituum est; *labia Sacerdotis,* non Regis, neque Rex Angelus Domini, seu nuntius ejus est, & nominatur loco citato, sed solus Sacerdos; ergo potestas spiritualis jure Divino testamenti veteris, est solis Sacerdotibus adnexa.

II. Reges, & Principes mere politici vi veteris testamenti habent dependentiam a Sacerdote, eique in spiritualibus judiciis subjecti sunt, atqui dependens in spiritualibus ab alio, ejusque judicio subjectus non potest supremum in spiritualibus esse Caput, aut Judex, ergo Reges, & Principes mere politici vi veteris testamenti non sunt supremum in spiritualibus Caput, aut Judex. M. p. Numer: 27. v. 21. de Josue ad regendum populum constituto dicitur: *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulat Dominum;* Ad verbum ejus egreditur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo. En Josue supremi Principis in politicis a Deo constituti clara dependentia a Sacerdote. Demum Judex: cui alii omnes subesse tenentur, constituitur, non Rex, sed Sacerdos Deuteronom: 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexit;* venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit eo tempore, queresque ab eis, qui indicabunt tibi judicie veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui presunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, ne declinabis, nec ad dextram, nec ad sinistram. Qui autem superbit erit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferet ma-

malum de Israël; atqui hic ne minima quidem mentio sit potestatis judicandi in Capite citato Regibus facta, sed tota potestas judicandi *Inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram* v. 8. citati Capitis Sacerdoti tribuitur, in quo mentio fit: jurisdictionis externæ populum gubernandi; ergo Reges, & Principes mere politici ex vi veteris testamenti habent dependentiam a Sacerdote, ejusque judicio in spiritualibus subjecti sunt.

Dices. In textu citato non tantum præcipitur venire ad Sacerdotem, sed etiam Judicem; per quod Princeps politicus, & Judex saecularis Hebreorum intelligendus est, ergo judicandi potestatem inter lepram, & lepram, causam, & causam non solum Sacerdos, sed & Princeps mere politicus in veteri testamento habuit. B. nomine Judicis non esse intelligendum unum e numero saecularium, sed determinate de numero Sacerdotum, qui tunc pro eo tempore ad judicia ferenda constitutus erat, eum enim manifeste indicat posita paticula copulativa, & quæ indicat de eo Supremo inter eos Judice sermonem esse, de quo immediate ante facit mentionem dicendo: *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit eo tempore;* id est, utique ex eis; seu ex sacerdotibus Levitici generis Supremum. Verum hoc etiam transmisso gratis, & liberaliter, quid quæso sequetur aliud? quam: non solum Sacerdotem, sed & judicem politicum fuisse constitutum Supremum Gubernatorem in judicando populum Israel? Ast: quomodo ex hoc sequetur: Rex est Supremum Caput Ecclesiæ ex vi testamenti veteris, si una secum aliud Caput supremum in judiciis Ecclesiasticis, Sacerdotem nempe, & quidem priorem se nominatum in citata scriptura patitur? si ergo ex hoc textu veteris testamenti Principes mere politici una cum Sacerdote sunt gubernatores Ecclesiæ; quomodo ergo subsistet petita a subditis forma juramentii in Anglia haec tenus proponi solita sub hoc tenore: *Ego A. B. palam teſtor, & ex conscientia mea declaro, quod Majestas Regia UNICUS est supremus gubernator bujus Regni, tam in omnibus Spiritualibus, sive Ecclesiasticis rebus, & causis, quam in temporalibus?* Si ei vetus testamentum in judicando jungit unum Sacerdotem, imo præponit? quomodo quæso erit unus supremus gubernator, tam in spiritualibus, quam politicis? Hæc etenim ad invicem tam parum cohærent, quam parum cohæret Primatus Angliæ in spiritualibus cum veteri testamento, ex quo tamen plurimum adversarii mordicitus cum extrahere conantur.

Probatur III. membrum propositum: Regibus præcipitur, ut accipiiant, & discant legem a Sacerdote in testamento veteri; ergo ex vi hujus testa-

testamenti Reges habent in spiritualibus dependentiam a summo Sacerdote, ejusque judicio, & directioni subsunt. a. p' ex eodem citato capite Deut: Ubi postquam v. 14. descriptæ sunt conditiones, & jura a Deo concessa Regibus, nempe: ut primus Rex quoad personam designetur, a Deo ut non reducat populum in ægyptum, & equos non multiplicet, & plurimas non habeat uxores, & has non alienigenas, ut non colligat immensas divitias; post quod ei præcipitur, ut legem a Sacerdote accipiat. v. 18. Postquam autem federit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Levitica tribus, legetque illud omnibus diebus vita sue, non quidem ut doceat, sed: ut discat timere Dominum Deum suum; ergo Regibus præcipitur: ut accipient, & discant legem a Sacerdote in testamento veteri; per quod a Deo subjectio ad Sacerdotem summum præcipitur Regibus, cum supremo, & unico Capite Ecclesiæ Anglicanæ vere incompatibilis.

Probatur. IV. Alia in testamento veteri assignata est potestas, & dignitas Regi, alia summo Sacerdoti, atqui in testamento veteri persona Regis erat distincta a persona summi Sacerdotis, ergo & potestas Regis fuit distincta a potestate Sacerdotis; per consequens ex testamento veteri nullo modo potest inferri has duas potestates in uno Rege adunatas esse. M. p. potestas assignata in testamento veteri Sacerdoti expressa habetur Paralip. 2. c. 19. v. 10. *Ubiunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendite eis;* inquit in citato Capite Josaphat Rex Iuda, agnoscens clare potestatem hanc spiritualem ad se non pertinere, quam nihilominus Primate Anglicanæ Ecclesiæ ex veteri testamento deduci pretendunt. Porro v. 11. potestas hæc in spiritualibus non Regi, sed supremo Sacerdoti tribuitur: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, que ad Deum pertinent, presidebit;* ecce potestas spiritualis soli Sacerdoti commissa! post quod sequitur: potestas politica distincta a prima collata, non itidem Amariæ summo Sacerdoti, sed: *Porro Zabadias filius Ismaël, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, que ad Regis officium pertinent;* En distinctam potestatem, & politicam distinctæ personæ commendatam! ergo alia in testamento veteri potestas assignata fuit summo Sacerdoti, & Pontifici, alia Regi; per consequens potestas in spiritualibus suprema Principum mere secularium ex nullo capite testamenti veteris subfistere potest. Unde Josephus lib. 4. antiquit. c. 8. describens legem Regni ait: *Et quisquis fuerit, plus legibus, & Deo, quam sua sapientia*

◎ ◎ ◎

tribuat; nihilque prater Pontificis, ac Senatus (scilicet Sacerdotum) sententiam faciat. Quod utinam consilium sequerentur Primates Ecclesie Anglicanæ! & sic facile fieret a Christo prædictum: *Unum ovile, & unus Pastor.* Joan. 10. v. 16.

Ex his porro dictum manet: jure Divino testamenti veteris, Regibus, aut Principibus mere politicis potestatem spiritualem in Ecclesiam non competere, cum jure nominato non Regibus, sed solis Sacerdotibus, & maxime supremo Pontifici in lege veteri ex institutione Divina demandata sit, ac per consequens: ex hoc testamento prætensum jus Ecclesiasticum Supremi Capitis Ecclesie Anglicanæ minime defendi, aut erui posse; cum in toto testamento veteri, ne minima quidem hujus mentio sit Regibus concessa, sed solum Sacerdotibus. Quod jus eisdem competere confirmat testamen-
tum novum in Resolutione. I. Sectionis præsentis sat fuse propositum; quo admissæ manet: neque jure Divino testamenti veteris, neque testamenti novi supremam in spiritualibus potestatem Principibus mere politicis remanere quibus in hoc jus Divinum nullo modo patrocinatur. Cum ta-
men prætensum in Ecclesia Primum aliquo jure salvare velint Re-
gum defensores, si eum eis attribuere adulatorie velint, videndum igitur
est (ne sine fundamento id prætendere condemnentur) cum jure Divino Pri-
matus in Ecclesia Principum mere politicorum prætensus non subsistat;
num ille saltem humano jure ceu canonico, ceu civili cohonestari possit.
Porro litteras cohonestatorias ex jure humano seu canonico, seu civili petitas a
Primitibus Ecclesiasticis Ecclesie Anglicanæ in angustias redactæ, de præ-
tensta dignitate, refellet.

Argumentum partis. III. Jus humanum legitimum, utpote a jure naturæ, & Divino descendens ei in omnibus accordare debet, ergo jure humano seu canonico, seu civili potestas suprema in spiritualibus Principi mere politico nullatenus competere potest. a. patet: Cum jura humana sint de-
terminationes, & explicationes juris naturæ, & Divini in circumstantiis, & casibus magis particularibus a jure naturæ, & Divino in individuo non expressis. c. p. I. ex jure canonico. Nam Nazianz: apud Gratianum (ad Imperatores Constantinopolitanos loquens) relatus dist: 10. c. 7. ait: *Li-*
benter accipitis, quod lex Christi Sacerdotali vos subjicit potestati, atque
istis tribunalibus subdit. Dedit enim, & nobis potestatem: dedit & Prin-
cipatum multo perfectiorem Principatibus vestris - - ubi discimus Impera-
tore subjeci Sacerdotio: bujus Principatum esse eorum Principatu melio-
rem

rem; & hoc ex ordinatione Christi. -- Quid quo^{do} ultra desideratur.

Adrianus. II. dist: 63. c. l. ait. Nullus laicorum Principum se injerat electioni, aut promotioni Patriarchae, Metropolite aut cuiuslibet Episcopi; ne videlicet, & incongrua fiat electio, vel confusio, vel contentio; presertim cum nullam in talibus potestatem quenquam potestativorum, vel ceterorum laicorum babere conveniat. Ex quo tria sequuntur, primo: Principes laicos non se debere ingerere electioni Episcoporum. Secundo: electionem similem inordinatam esse. Tertio: Nullam in his principes potestatem habere; ex quo sic arguitur: Minus est se ingerere electioni Episcoporum, quam praesidere in Divinis atqui Princeps mere politicus non debet se immiscere in promotione Episcoporum, ergo multo minus praesesse Divinis. Rursus: Nullam habens potestatem in Ecclesiasticos, non habet Primatum, sed ex can. cit: Princeps nullam habet potestatem in Ecclesiasticos, ergo non habet Primatum.

Gelasius. I. ad Anast. Imp. dist: 96. c. 10. inquit: Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur auctoritas Sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in Divino reddituri sunt examine rationem. Nostri etenim filii clementissime, quod licet praesideant humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Praefulibus Divinarum rerum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expertis, inque summendis coelestibus Sacramentis, eisque (ut competit) disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam praesesse. Nostri itaque inter haec ex illorum te pendere judicio non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Ex quo sequitur primo: Imperatorem praesesse humanis. Secundo: in Divinis subesse Pontificibus. Tertio: in his penderre a Sacerdotum judicio. Quis quo^{do} haec cum primatu concordabit Regum ex jure canonico defensum?

Marcellus. I. causa. 11. qu. 1. c. 3. relatus statuit: Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permisso nullus presumat ad secularem Judicem trahere, nec laico quemlibet Clericum licet accusare -- ; Sed si Rex haberet Primatum in Ecclesiasticis, liceret Clericum trahere ad ejus tribunal, ergo &c. Et ne prolixam rem faciamus, omisitis innumeris juris Canonici textibus, quos ex aliis locis Decretalium sumere possemus,

mus, rem absolvet discursus Innocentii. III. de majoritate, & obedientia c. 6.
Non negamus quin praezellat Imperator in temporalibus illos duntaxat,
qui ab eo accipiunt temporalia, sed Pontifex in spiritualibus excellit, que
tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori &c.
Noscere debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento
Cœli, luminare majus, ut præcesset diei, & luminare minus. ut præcesset
nodi, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur
Cœli, hoc est, universalis Ecclesie fecit Deus duo luminaria magna, id
est: duas instituit dignitates que sunt Pontificalis authoritas, & regalis
potestas, sed illa que præest diebus. id est: spiritualibus, major est; que
vero carnalibus minor; ut quanta est inter solem, & lunam, tanta in-
ter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Viderint igitur Primates
Ecclesie Anglicanæ, quo jure prætensus suum Pratum Ecclesiasticum
tuebuntur, etenim a jure Canonico ex omni parte libellum repudii acci-
piunt.

Unde a jure Canonico cum Pratu Ecclesie Anglicanæ transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, num saltem in jure Civili legitimo præsepe invenitur sit, & saltem hac via prætensus Pratus Anglicanæ Ecclesie cohonestari, & legitimari possit, quem spurium remanere non volunt pati partis adversæ patroni, nisi convincantur. Examinandum porro venit: num ergo cohonestatorias litteras a jure civili legitimo saltem sperandas habeat? circa quod mentem, & sensum decidet, una ac declarabit.

Probatio. II. consequentia principalis in argumento proposita, ex jure civili petita. Jus civile tunc maximam obtinet firmitatem in materia Religionis, quando a Conciliis præsertim universalibus approbatur, atqui jus civile a conciliis generalibus approbatum, seu constitutiones Principum mere politicorum clare indicant Principes mere politicos non esse Pratus Ecclesie in spiritualibus, sed subjectos Episcopis, ergo ex jure civili a generalibus Conciliis approbato clare habetur Principes mere politicos non esse suprema capita in spiritualibus Ecclesie. M. pater: cum tunc constitutio humani Principis ab utroque jure, & foro confirmetur, & consensus Ecclesie, aut Episcoporum, robur constitutioni manifeste addat, cum ei non contradicit. m. probat primus Christianorum Cœsarum Imperator Constantinus Magnus, qui in Concilio Nicæno, ut refert Rufin: lib. I. Hist. c. 2. & Sosomenus l. I. c. 16. suam circa Ecclesiam potestatem ita de-

clarat, loquens ad Concilii Patres. *Vos a Deo nobis dati estis Dei, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus discernit, & ideo bis omissis, illa, que ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distingue.* Cum hæc dixisset, omnes simul quærimonia rum libellos jussit exuriri ne innotesceret ulli. Quibus clare confitetur causas fidei non ad Principes mere politicos (velut defensores Primatus Angliae evincere ambiunt) sed Praefices mere Ecclesiasticos pertinere. Hoc exemplo, & Doctrina utitur Gregorius Magnus lib. 4. Epist. Epist. 75. Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem. Gregorius. VII. lib. 7. Epist. 21.

In Cœcilio Ephesino Theodosius, & Valentinianus Imperatores, in Epistola ad patres Synodi habent: *Igitur Candidianum præclarissimum Religiosorum, domesticum Comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus; sed ea lege, & conditione, ut cum questionibus, & controversiis, que circa fidei dogmata incident, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim est, qui Sanctorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus se immiscere;* ergo ipsorum Imperatorum judicio laici Principes potestate carent judicandi res fidei.

In Concilio Chalcedonensi, Marcianus Imperator, in oratione habita ad Concilium, fatetur clare se nullam habere potestatem circa controversias fidei, sed solam protectionem pro removendis impedimentis, & promovenda decretorum executione ut refertur dist. 96. c. *Nos ad fidem confirmandam, non ad aliquam potentiam ostendendam, exemplo Religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse, volumus, ut inventa veritate, non ultra multitudopravis doctrinis attracta discordet.* Et in eodem Concilio Vicarii Imperatoris, petunt instrui, non vero instruere in rebus fidei: *Quod placet Reverendo Concilio, de sancta fide ipsum nos doceat.* Sivero Imperator haberet potestatem Primatus, ejus Vicarii habuissent jus judicandi cum aliis, ut patet in Vicariis Papæ.

Pro complemento edictorum Imperatorum, ex jure civili occurrit illud Justiniani Imperatoris in authent: constit. 123. *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento civiles Magistratus cum ea disceptatione, sed Religiosissimi Episcopi secundum Sacros Canones finem imponunto.*

Præclara sane constitutio, in qua decernit Imperator sacerulares Principes non debere adesse, multo minus præsidere in negotiis, & disceptationibus mere Ecclesiasticis. Verum quare? quia vult ea in re sacros servari Canonem, quibus cautum est, ut Episcopi, non autem Principes tractent controversias ad Ecclesiam pertinentes. Plures sanctiones tum Regum, tum Imperatorum, qui videre desiderat, fuse propositas reperiet in parte. 2. Liberii a Jesu controv. 3. Nunc paulo ad testas demeliticos transeamus, & videamus ipsorum Regum Angliae de hoc judicium, imo ipsius Regis Henrici. VIII. (antequam eum cæca libido Annæ Bolenæ in supremum Ecclesia Anglicanæ Caput inaugurasset) de hoc sentimentum.

Osvius Nordan Humbrorum Rex, & Egbertus Cantuariorum Rex, cum accepissent Romanam Ecclesiam, Catholicam, & Apostolicam esse, miserunt Romam Wighardum ut accepto gradu ArchiEpiscopatus, Catholicis Anglorum Ecclesis ordinare posset Antisistes. Ex Beda lib. 3. c. 29. Si igitur Reges Angliae domi sua Primum Ecclesiasticum habebant, cur Romam miserunt? Circa observantiam Paschatis dissidebat Colmannus Episcopus, & Wilfridus. Primus urgebat traditionem Joannis Evangelista, Secundus traditionem Sancti Petri decens: Tu autem Culmanne, & socii tui, audita decreta Sedis Apostolicae; imo universalis Ecclesie, & hec sacris litteris confirmata, sequi contemnitis, absque ulla dubitate peccatis; Miscebatque dictum Christi: Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. Tunc Osvius interrogavit, an uterque consentiret, haec dicta principaliter Petro? & respondentibus etiam, utrique subdit Rex: Et ego vobis dico, quia hic est Oſiarius ille cui ego contradicere nolo; sed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente adfores Regni Cœlorum, non sit, qui referat, averso illo, qui claves tenere probatur. Factum refert Beda.

Kenulfus Rex Merciorum apud Anglos obedientiam præstat Romano Pontifici in Ep. ad Leonem. III. circa annum 800. In qua Pourificem gregis Dominici Pastorem vocat, Leonis exaltationem ad Sedem Apostolicam suam dicit salutem, hac addita causali: *Quia unde tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. - - Quapropter opportunum arbitror tuis Sanctis iussionibus aurem obedientiae nostra humiliter inclinari, & quæ tua pietati rite nobis sequenda videantur, toto nixu amplectenda; quæ rationi contraria inventa fuerint, citius declinanda ac interim*

nobis omnino resecanda. Edvardus obedientiam Summo Pontifici magna veneratione profitetur in Epist. ad Nicolaum. II. ubi hæc habet: *Summo universalis Ecclesiæ Patri Nicolao: Edvardus De gratia Anglorum Rex, debitam, & subjectionem, & obedientiam, -- justum judicavimus apud vos, velut ad solidam petram accurrere, & probare omnes bonas actiones nostras,* Henricus. II. ut refert Petrus Blessensis Epist. 136. Romano Pontifici obedientiam spondet in Epist. ad Alexandrum. III. *Vestra magnitudini pro-mitto, me vestra dispositioni in omnibus pariturum; & Deus extulit vos in eminentiam officii Pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi ejus--* Ejus pientissima uxor Eleonora Angliæ Regina mirifice Romani Pontificis auctoritatem est proffessa, in Epist. ad Papam, apud eundem Blessensem Epist. 144. In qua miserrimum Clericorum statum describit, imploratque subsidium ab eo: *Quem constituit Deus super gentes, & regna in omni plenitudine potestatis &c. Cum sis Vicarius Christi Successor Petri Sa-cerdos Christi, Christus Domini, Deus etiam Pharaonis &c. Non Rex, non Imperator a vestra jurisdictionis jugo eximitur -- -- Et in Epist. 146. Pulchre equidem Christi crux antecellit Cæsaris aquilas, gladius Petri, gladium Constantini, & Apostolica Sedes præjudicat Imperatoris potestati. Quid ad hæc exempla dicent suorum piissimorum antecessorum Primates Anglicanæ Ecclesiæ? Et Omnisso Edvardo, qui temporibus Clementis. VI. diplomate evulgavit: neminem ex Ecclesiasticis apud laicum Judicem teneri causam dicere, sed statim, ac diceret se membrum Ecclesiæ Sanctæ esse, ad Ecclesiasticum forum remittendum.*

Omnissimis aliis pluribus fuse ab aliis relatis nunc controversiam cum Henrico. VIII. ipso conferamus, quid circa hæc senserit, antequam suum in Ecclesia Primum caro, & sanguis sibi revelasset, ex corporis jure Anna Bolenæ haustus. Hic etenim exurgente Lutherò in sedem Aposto-licam, pietate, una ac eruditione plenum edidit libellum de septem Sacra-mentis, in quo art. 2. mirabiliter Primum Romanı Pontificis probat: *Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium SACROSANC-TAM ROMANAM, VELUT MATREM PRIMATEMQUE RECOGNOSCAT, AC VENERETUR, quæcumque saltem, neque locorum distantia, neque pe-riculis interjacentibus prohibetur accessu. Quanquam (si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc) Indi etiam ipsi, tot terrarum, tot ma-rium, tot solitudinum plagis disjuncti, Romano tamen Pontifici se sub-mit-*

mittunt. Ergo tantam, & tam late fusam potestatem, neque Dei ius-
su, neque hominum voluntate consecutus est, sed sua vi vendicavit; di-
cat, velim, Lutherus, quando in tanta ditionis erupit possessionem. Post
quod demonstrat a primordiis Ecclesie Romanam Ecclesiam ut talem agni-
tam fuisse his verbis: *Quin Graciam ipsam: quanquam ad ipsam commi-
grasset Imperium, reperiemus tamen, quod ad Romane Ecclesie PRIMA-
TUM pertinebat, praterquam dum schismate laborabat, Romane Ecclesie
cessisse.* In qua doctrina usque ad vigesimum annum Regni sui perdura-
vit donec tandem assumpta nova uxore, legitima vivente repudiata,
assumpit, una cum illa novam fidem, legitima fide in Ecclesia vivente
itidem repudiata. Verum, quo jure? id hactenus, nec ipse, nec ipsius
facti utriusque defensores luci publicae dederunt, articulum hunc pro sola
Ecclesia Anglicana reservantes, sed vere in hoc: qualis fides, talis Ec-
clesia.

Verum ne nimiam injuriam sibi fieri, querulari possit Ecclesia Anglicana, ad consensum, & judicium doctorum, & Sanctorum hominum digre-
diamur, num ab ipsis saltē protectionem obtinebit, Principum mere politorum Primatus Ecclesiasticus. Quoniam judicio eorum stare, & in eo-
rum sententias compromittere se fatetur: in Apologia, & monitoria Prae-
fatione ad Imperatores, & Reges, & Principes, Serenissimus Jacobus Rex
Angliae, qui pag. 38. suam mentem cum omni veneratione in SS. Patres
circa praetensum a se Pratum Ecclesiasticum aperit; sic enim ait: *Pa-
tribus autem eam venerationem exhibeo, qua nec ipsi majorem opta-
rent; nec Jesuite parem unquam detulerunt.* *Quidquid enim quadrin-
gentis post Christum annis, unanimi consensu Patres, ad aeternam salutem
esse necessarium statuerunt, aut cum iis ita esse sentiam, aut me-
desto silentio obmutescam: reprehendere certo non audio.* Verum ni Pa-
trum Rex Serenissimus reprehendat, aut damnet sera, Pratum suum
Ecclesiasticum ægre salvabit. Hoc ut praestare possit, astuta præcautione
se præmunivit pag. 39. dicens: *Nolle se adstringi privatis Patrum
auctoritatibus, cum & ipsi Patres pugnent sententiis contradictoriis.*
Ne videlicet verbis stare teneatur antea promissis, ut auctoritatibus Pa-
trum obrutus illud moderni sæculi obtrudere possit damnosum adagium:
Tantum credo, quantum volo. Cum tamen nihilominus ad quatuor pri-
ma post Christum sæcula provocet, si suis verbis stare voluerit, horum

sæculorum Patres, prætensi ab eo Primatus Ecclesiastici, eum clare convincent. Sit igitur.

Argumentum partis. IV. Quod, utpote a solis testimoniis honestorum virorum deductum clarius proponi non potest, quam claras eorum sententias in hoc negotio proponendo. Agmen ducat S. Ignatius Martyr Anno post Christum. 71. qui in Epist. 7. ad Smyrnenses docet. *Primum honorem deberi Deo, secundum Episcopo, tertium Regi.* Videat ergo ex hoc, quomodo Regium deducat Primitatum Apologista, ni tueri se velit praedito dicto: tantum credo, quantum volo.

Idem Sanctus Joannis Evangelistæ discipulus, Epist. ad Philadelphianos scribit: *Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris; Presbyteri vero, & Diaconi, atque omnis clerus simul, cum omni populo, & militibus, atque Principibus, sed & Cæsare obedient Episcopo: Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas per omnia servetur.* Vox digna Apostoli discipolo! omnes inquit obediunt Episcopo; etiam ne Cæsar? omnino! Quidni, & Rex? Verum Martyr glorioissime! quid dicet Primas Angliae? quomodo salvabit Caput suum?

Hunc excipit minime suspectæ fidei Hosius Cordubensis Episcopus, qui primo Concilio Nicæno interfuit, in quo Constantimum Imperatorem sic assatus est: *Desine queso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce.* Tibi Deus imperium commisit, nobis qua sunt Ecclesia concredidit, & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divine, ita & tu cave, ne qua sunt Ecclesia ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Hæc verba refert Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes.

Huic similis est Athanasius (magnæ apud Regem Angliæ autoritatis) qui in citata Epistola, graviter reprehendit Constantimum Imperatorem, quod Ecclesiasticam jurisdictionem sibimet usurparet, ideoque ob hoc vocat eum: Antichristum, apostatam, fidei desertorem (quod Ecclesiasticam jurisdictionem exercere vellet) carnem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam. Eundem cum Achabo, Antiocho, & Herode comparat, asserens: malorum omnium esse voraginem, omnis impietatis Caput, hæreticorum incitamentum, acerbitas radicem; religionis everorem, additque esse inauditum, quod Reges, & Imperatores se misceant causis ad Ecclesiam pertinentibus, his verbis in Epistola citata: *Quando*

a con-

a condito eis auditum est? quando judicium Ecclesie auctoritate suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnitus? &c.
--- Nunc autem novum spectaculum ab Ariana heresi editur &c. --- quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & praesidere iudiciis Ecclesiasticis, non merito dicat, illum eam ipsam abominatione desolationis esse, quæ a Daniele predicta est? ---

Si porro Primas Angliae suis statim verbis, & compromissione datæ vult, verbisque Patrum) eorum seculorum, quæ ipse in Apologia designavit) credere non quantum vult, sed quantum juxta a se contestatam reverentiam tenetur, optimum consilium iniet, ne Regia verba retrahat, si in hoc exemplum Constantini Imperatoris fecutus, cum eodem ante citato confiteatur loquente ad Patres Concilii Nicæni: *Vos a Deo nobis dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, --- & ideo his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distinguite.* Et sic suis verbis Regia fide in Apologia datis eum stare venerabimur, atque credemus; Secus Athanasii dicta, sibi applicari imputet.

Nec valet responsio Apologista Regii: Athanasium de intrinseca auctoritate Ecclesiastica loqui Sacerdotum, non vero de extrinseca. Nam verba Athanasii sunt clara, quæ externam manifeste tangunt potestatem; etenim, praesidere Episcopis, convocare Concilia, judicare causas Episcoporum, definire res fidei, etiam in principiis Serenissimi Regis, sunt actus jurisdictionis exterioris, ob quos S. Pater Constantinum cum constanti Zelo reprehendit.

His accedunt Cyrus Hieorosolymitanus Catechesi 17. loquens: *Ad hodiernam usque diem cernimus mundanos Principes regi, & instrui ab Ecclesiasticis; --- Si Ecclesiastici regunt Reges in spiritualibus, sunt Reges ergo subditi, inferioresque in illis.* Auctor est Anni. 370.

Gregorius Nazianzenus Orat. 17. ad cives suos, & Praefectum, quos liberè redarguit dicens: *Nam vos quoque Imperio meo, ac throno lex Christi subjecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius, ac perfectius; nisi enim equum est spiritum carni fasces submittere, ac cœlestia terrenis cedere.*

Audiatur insuper hac in re Cyprianus, qui Anno 250. vivens lib. 1. Epist. 3. heresum radicem innuens dicit: *Neque enim aliunde hereses obor-*

oborta sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. En causam assignatam (ab eo, quem haeretici manibus, pedibusque amplectuntur) Regni Christi in se ipso divisi per Primatum Anglicanum!

Confirmet Ambrosius dicta Doctorum Anni. 374. Scriptor, Epist. 32. ad Valentianum enim Imperatorem ait: *Quando audisti Clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo judicasse? ita ergo quadam adulazione curvamur, ut Sacerdotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipsum aliis putem esse credendum? &c.* Quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, in qua Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? &c. Si conferendum est de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino Augustae memoria.

Agmen Doctorum maximum in Ecclesia lumen claudat S. P. Augustinus Anno. 400. florens, quem plurimi facit Anglicanæ Ecclesie in rebus Ecclesiasticis Primas; Hic etenim Epist. 166. Donatistas corripiens dicit: *Primi majores vestri causam Ceciliiani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc a nobis, & si non probaverimus: facite de nobis, quidquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare. eam discutiendam, atque definiendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in urbe Roma, presidente Melebiade.*

Viderit obsecro, quomodo haec ad dicta Patrum quatuor primorum sexulorum provocans, inque eos compromittens, cum filio ab Henrico. VIII. fabricato Ecclesiae Primitu concordabit Serenissimus Apologista, si promissa reverentiae Patrum stare tanquam vir honestus velit, ne in his minime subsistens, praæ angustiis voluntarium arbitrium ante jam prædictum oggere necessitetur: tantum his credo, quantum volo! verum hoc admisse in alias angustias ipsum redigi est necesse; nam etiam admissa ipsi a nobis libertate credendi quod vult; quomodo ceu honesti viri promissa ab eo subsistent citata in ejus Apologia pag. 38. *Patribus autem eam venerationem exhibeo, qua nec ipsi majorem optarent.* - - *Quidquid enim quodringentis post Christum annis, unanimi consensu Patres, ad eternam salutem esse necessarium statuerunt, aut cum iis ita esse sentiam aut modesto silentio obmutescam; reprehendere certo non audeo.* Si proinde promissam

Nam iis fidem servare velit, non video, quomodo suum sensum, cum eorum dictis concordabit, nisi admittere velit Rex Serenissimus unum, idemque apud ipsum valere: reprehendere certo non audeo, & reprehendere certo audeo; de quo tamen ea reverentia, quam ille erga Patres testatur, absolvere cuperem eum, si suis promissis stare cupierit, velut citato loco appromisit. Meo judicio sua verba eo modo concordabit cum mente Patrum, in quos compromisit, quo suum Ecclesiasticum Primum cum eorum sententiis; ast *quaesocetas lucis ad tenebras?* 2. Corinth: 6. v. 14. Quæ tamen ad invicem stare mordicitus evincere cupit. Verum optandum foret: ut sensa sua cum dictis Patrum stare pateretur exemplo ante citati Constantini, post tenebras similes devictas lucem veræ fidei non sperantis modo, sed & agnoscentis; ne de Serenissimo Apologista Corinth. c. 3. v. 20. dictum remaneat: *Qui male agit odit lucem.*

Quodsi nihilominus prædictum lumen aspicere detrectat, ad lucem gentilium sola ratione naturali id agnoscentium imo testimonia ipsa summorum nostræ fidei osorum deducendus erit; ut gentilium saltet exemplis, inimicorumque Ecclesiæ Catholice testimoniis convictus semel tandem clamare necessiteret: *Domine, ut videam. Lucæ. 18. v. 44.*

L. 4. de dictis, & factis Socratis, regula Xenophontis est: *Quod omnes gentes observant, illud non nisi a Deo profluxisse credendum est:* medio videlicet lumine naturæ, sed omnes gentes agnoscunt, & observant causas Religionis, ad Sacerdotes pertinere, ergo id ex Deo est secundum lumen solius naturæ. n. declaratur exemplis: *Apud Ægyptios: Judices iidem, qui & Sacerdotes - - in his Princeps erat maximus natu, & in omnes statuendi jus babebat.* ita Aelia lib. 14. variarum historiarum cap. 34. Galli. *Druidas de omnibus controversiis publicis, & privatis constituebant:* testibus Cæl. de bello Gallico lib. 6. Stephano lib. de veteri Gallorum Religione. Josepho lib. 14. antiquit. cap. 16. Sacerdotes Germani jus habebant imponendi, & indicendi silentium, teste Tacito lib. de moribus Germanorum. In Æthyopia Sacerdotes Meroæ ea pollebant potestate, ut cum eis placeret, imponebant Regi, ut mortem subiret, & Regnum deserret. Sic Strabo lib. 17. Geographiæ. Agatias lib. 2. histor. de Romanis ait Sacerdotibus: *Maximum autem, & præstantissimum in Republica jus est augurum.* Idipsum Cicero. 2. de legibus afferit.

Apud Slavos: *Sacerdotes majores sunt Regibus,* Helmondius lib. 2. cap. 12. *Pontifex maximus omnium Sacerdotum Judex est, & Arbitrus re-*

rum Divinarum, & humanarum, apud Festum Pompejum lib. de verborum significatione. Postbumius Consul cessit Metello Summo Sacerdoti. Titus Livius lib. 29. Imperatores timentes Sacerdotum potestatem, Sacris inaugurarari voluerunt, Sic Dio Cassius lib. 53. Advertant ergo serio doctissimi Angli, qui stabilire conantur Primatum in suis Regibus, & a Sacerdotibus eum avellere, quomodo in lumen rectæ rationis ab ipsis gentilibus clare agnitus impingant.

Nunc porro ad hostium nostræ fidei testimonia transferamus Primatum prætensem Principis mere politici. Lutherus siquidem, qui more suo, ordinem Ecclesiasticum, sacraque judicia subjecerat laicali potestati, asserta hæc retractavit lib. de bello adversus Turcas. *Salutet Deus vos infideles Principes vestrorum subditorum. Quis diabolorum vobis in mandatis dedit tam vehementer non commissa Ecclesiastica negotia peragere, que ad Deum, & conscientiam spectant?* Tomo 2. contra articulos Lavanenses: *Non est Regum, & Principum veram doctrinam confirmare, sed Ecclesie subjici, & servire.* Lib. de sœculari potestate: *Si quando secularis tuus Princeps tibi mandat hoc, vel illo modo credere, aut jubet libros abjicere, sic dices: Non licet Luciferum sedem suam juxta Altissimum ponere. Benevoli Princeps, omnem corporis, & fortuna obedientiam tibi dabo. Manda mihi pro ea, quam in terris obtines potestate, & sequar te. Si quid autem preceperis de fide, aut libris ablegandis, non tibi dicto audiens ero.* In his tyrannum te præbes, modum excedis, atque ea præcassis, in quibus nullam potestatem obtines - - - Idem in Comment. Psal. 102. *Audite nobilissimi Angli, qualis vestri Regis Primatus sit ex mente Lutheri. Luciferinum tentatum, diaboli magisterium, tyrannis usuratio.*

Calvinus idem sentit tametsi Romano Pontifici infensissimus, nam in Comment. c. 2. l. 4. instit. c. 11. 43. Laudat Ambrosium, quod vocatus ad conferendum de fide coram Imperatore recusaverit, & cap. 20. assertive statuit: *Apostolicum munus Regi non convenire* cap. 11. 15. *Si Scriputuram, & vetera exempla intucamur, quis est, qui non astruat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare.* Et ne prolixa res fiat Romanæ Ecclesiæ hostium auctoritate concludatur. Centuriatores enim Magdeburgenses, supremam potestatem Ecclesiasticam laicali statui denegant, claris verbis: *Sint sane, & ipsi*

ipſi Magistratus membra, & partes & cives Ecclesiæ, imo ut ex toto corde ſint, omnes precari decet. Flagrent ipſi zelo pietatis, ſed non ſint Capita Ecclesiæ, quia ipſis non competit ille Primatus. Ecce nec Romanæ Ecclesiæ hostes Primatum Ecclesiasticum Regi, & Principi mere politico concedere volunt ! quis porro eundem admittet ? ſola Anglia ſuos co-gens, & coacti ſui ſubditi. Aſt compatiōr iis, quod in re tam magni momenti nullum hactenus ad invenerint fundamentum, præter id : ſtat pto ratione voluntas, cui in ſalutis negotio coacti fidem juratam deponere adiunguntur, contra omnia jura tam Divina, quam humana, prætēnſe.

His abunde absolutis ultimum azylum Primatus Anglicanæ Ecclesiæ querit in titulo & jure præscriptionis, ſollicitans conſilium contra Dominum. Aſt quoniam *non eſt conſilium contra Dominum Proverb. 21. v. 30.* Videndum igitur reſtat : num prætēnſus Primatus Ecclesiæ Anglicanæ ex hoc juris titulo præſcribendus, an vero potius proſcribendus homini ratione utenti veniat ; ut pote quem nullum aliud ius defendere, aut vult, aut potest, præter ius confiſcum Schismaticum Henrici, Schismatiſi Edvardi pueri, & Elisabethæ fæminæ illegitimo thoro natæ. Praeclarā ſane Primatus Ecclesiæ Anglicanæ fundamenta: ſuper quaꝝ ſomniatur Christus ædificasse Eccleſiam ſuam. Cum tamen Apoſtoliſus hiſ clare contradicere ſe fateatur ad Corinth. 3. v. 11. ſcribens : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod pofitum eſt, Christus Iesuſ.* Verum hoc non obſtantē, ne inauditi hac etiam in parte remitantur Primatus Angliæ defenſores, audiendus prætēnſus Primatus Ecclesiæ Anglicanæ, & in hoc tribunali juris erit, cum ad hoc etiam ſua acta depoſuerint ejus defenſores. Hunc porro Primatum titulo præscriptionis prætēnſum ab Ecclesiæ Anglicanæ defenſori-bus (priuſquam judicium Summarium fiat ſententia ex omni jure conden-natoriaꝝ) anatomizabit :

Argumentum partis V. Ideo Regius Primatus Regibus competitorer jure ſaltem humano (cum Divino non ſubſtitat) quia competitor ei legibus uſu capionis, ut habet Rex ſereniſtimus *Apolog. pag. 30. & 34.* Sed hoc eſt falſum, ergo Regius Primatus non competitor Regibus jure humano præscriptionis. M. eſt unicum effugium adverſiorum. m. declaratur : Cum etenim lex humana ſit determinatio legis Divinæ tanquam ſuꝝ regula universalis, falſa eſt omnis determinatio contra ſuam universalem re-gulam, ergo & falſum eſt legem humanam adverſus Divinam præſcribe-re poſſe. m. declarata insuper probatur : Contra ius Divinum, nulla proſrus prævalere potest civilis, & humana præscriptio, atqui certo cer-



tius est : Primum Ecclesiasticum , seu regimen Religionis esse juris Divini , cum Ecclesiam immediate Christus instituerit , & fundaverit , pertinetque ad ordinem supernaturalem , ergo contra Primum Ecclesiæ legitimum utpote lege Divina firmatum nulla potest fieri præscriptio . M. declaratur ab inconvenienti . Nam si contra jus Divinum posset præscriptio fieri , sic omnia scelera erunt licita , quæ certe ab orbe condito patrata sunt , & eodem jure præscriptionis , imo majori se tueri poterunt ; siquidem hæc ab orbe condito patrata sunt , Primatus vero Ecclesiasticus Regum nonnisi . XV. post Christum natum sèculo per Henricum . VIII. orbis innotuerit . Imo Imperatores Turcarum , & quilibet Princeps Idololatria juste , & licite vivere poterunt , & salvati in statu idololatrico , titulo & jure solius longæ præscriptionis , & sic cessabit illud Christi dictum : *Qui crediderit , & baptizatus fuerit , salvus erit Marci . 16 . v . 14 .* in quod tamen credo saltem Ecclesia tota Anglicana , una cum suo Capite compromitteret , & ab eo non recedet tam facile , si Christiana nominari velit (cum Turcis etenim , & Idololatris mihi sermo non est , sed cum Christianis) ergo id totum quod titulo præscriptionis Primatus Angliae defensores ad struunt vere falsum est ; consequenter eorum dictis ex omni Capite non subsistentibus , quis credet ?

Declaratur propositum Argumentum . Si etenim iniquum Regis Henrici factum propria autoritate cæptum facit jus licitum Regibus , & inchoare potest jus præscriptionis ; etiam factum iniquum Regis Davidis , adulterium nempe cum Bethsabea commissum propria autoritate , faciet jus licitum Regibus adulterandi , & inchoare poterit præscriptionis jus adulterandi . Illationis ex hac præmissa , mihi certo persuadeo , ipsos Primatus Anglicani defensores , utpote viros honestos , pudebit ! Et non pudet præmissæ eos , ex qua id legitime infertur , sequiturque ?

Probatur . II. Ideo jure præscriptionis tutum se esse existimat Serenissimus Rex Jacobus , quia aliqui ex antecessoribus , nempe : Henricus , Edwardus , & Elisabetha , qui soli Regem Jacobum antecesserunt in prætenso Primatu Anglicanæ Ecclesiæ , eundem Primum sibi usurparunt , neque passi sunt , ut Pontifex inibi ullam exerceat jurisdictionem , velut in monitoria Epistola ait Rex Serenissimus ; atqui multo plures pietate , & Sanctitate clari , imo pene omnes a fide susceptra (exceptis his tribus nominatis) Primatum Ecclesiæ Anglicanæ non usurparunt , sed ei illum in pace reliquerunt cui illum Christus commisit , passique sunt omnem in spiritualibus exercendi jurisdictionem in Regno suo Pontifici , ergo Serenissimus Rex jure præscriptionis

ex dato malo exemplo suorum paucorum antecessorum, Primatem Anglicanæ Ecclesiæ, se tueri minime potest, siquidem *Possessor male fidei nunquam prescribit*, ut jura loquuntur *tit. de præscriptionibus*. M. est in citata monitoria Epistola; Si enim hoc titulo velut justo se tueri vult Anglicanæ Ecclesiæ Primas, etiam Achaz in testamento veteri falsos Deos colens. 4. Reg. 16. v. 3. se tueri poterit eodem modo, & se jure contra Deum defendere simili præscriptione: aliqui ex meis antecessoribus coluerunt falsos Deos, nihil proinde novi sit a me, ergo jure præscriptionis id facio. Nam paritas ab uno iniquo jure ad alterum est omnimoda. Verum cum utrobique jus Divinum (ut supra tam ex veteri, quam novo testamento clare demonstratum est) clarum, & liquidum sit; quid quoð in contrarium etiam infinita exempla proferre prodest? m. videri potest abunde ostensa in probat. 2. consequentia Argumenti partis III. in qua potissimum Antecessorum Regum Angliaæ subjectionem & obedientiam erga Primatem Ecclesiæ a Christo constitutum dedimus.

Unde sic potius argumentari deberet Rex Serenissimus: multo plures, imo plurimi ex meis antecessoribus venerati sunt authoritatem Pontificis, quam ei jus Divinum dedit, quam respuerunt, ergo & ego eam venerari volo, nec respuere, & sic jure præscriptionis juste possidebit ea, quæ ei pertinent titulo præscriptionis, si ea, a quibus jure Divino, & humano exclusus est non usurpaverit; una ac reddiderit, *qua sunt Cesaris Cesari, & qua sunt Dei Deo. Matb. 22.* Conseq. liquet. Cum ad omnem præscriptionem ex vi juris tam civilis, quam etiam canonici requiratur: *Res ipsa, bona fides, titulus justus*, id est a jure Divino, aut humano legitimo non reprobatus, qualiter reprobatus est a jure tam Divino, quam humano, imo (seclusa: partim coacta, partim adulante Regibus Anglia) atote cæteroquin orbe Christiano: titulus Primatis Ecclesiastici Regum.

Summarium judicium propositæ controversiæ.

Dignitas igitur Capitis Ecclesiæ, aut Primatus Ecclesiasticus aliqui jus Principis mere politici nullo prorsus jure evinci potest. Non jure naturæ, non Divino veteris, aut novi testamenti, non jure humano civili, aut canonico, non ex consensu doctorum hominum, aut piissimum prædecessorum Regum Angliaæ, non denique ex titulo legitimæ præscriptionis, cum omnia hæc contra prætensum Primatum Regum clament. Ergo conclamatum est! contra jus prætensum Principium mere politicorum in puncto Primatus Ecclesiastici, a quo eos omnia jura exauktorarunt.

Tandem igitur : Nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Ps. 2. v. 10. Vox Domini exercituum. Isaie 22. v. 14. Vox facta est de Cœlis Marci 1. v. 11. Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei Act. 20. v. 28. Ast quam Ecclesiam? in qua nos stulti propter Christum. 1. Corinth. c. 4. v. 10. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut fortia confundat. 1. Cor. c. 1. v. 27. Verum: nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Imo nonne Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum 1. Corinth. c. 3. v. 19. Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Quicunque ergo humiliatur se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cœlorum. Matth. 18. v. 4. Ecce Primatus Regius Regni Cœlestis non præscriptione, sed humilitate venalis! Porro: In arbitrio viri erit, ut faciat vel non faciat. Num. 30. Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Verum: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Eccl. c. 15. v. 17. igitur: nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Ps. cit. Quarite ergo primum Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6. v. 33. hæc certe longe clariora pro Regibus jura sunt, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. 10. v. 10.

§. IV.

Contra I. Resolutionem argumenta partis adversæ solvuntur.

Argumentum. I. contra primam Resolutionem. Christus suo exemplo non tantum se subjecit, sed & præcepit obedire Principibus mere politis, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ ex vi novi testamenti a Christo verbo, & exemplo constituta est in Principe mere politico. A. p. Christus suo exemplo: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Philip. 2. v. 8. *Vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* 1. Petri. 2. v. 21. Ubi insuper Pilato loquens, agnoscit habere eum super se potestatem, ei dicendo: *non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joan. 19. v. 11. Christus insuper præcepit Matth. 22. *reddite ergo, quæ sunt Cœsar's Cœsari;* ergo Christus suo

suo exemplo non tantum se subjecit, sed & præcepit obedire Principibus
 mere politicis ; igitur habemus Primum Ecclesiæ Anglicanæ ! R. d. a.
 Christus suo exemplo non tantum se subjecit quoad mortem videlicet ex
 obedientia Patris subeundam, sed & præcepit obedire Principibus mere
 politicis in politico ordine , ut nempe in eodem ordine sequamur vestigia
 ejus c. a. quoad directionem interiorem sui se subjecit, & regimen Ecclesiæ a
 se fundatæ n. a. & c. Cum enim Christus non venerit ministrari, sed mi-
 nistrare, non venit regnare more gentium. sed pro salute hominum pati,
 velut testatur *Joan. 18. v. 36.* *Regnum meum non est de hoc mundo;*
 expediens utique fuit, ut nos subjectione sua ad humilitatem invitaret ; &
 subjectionem eorum, quos in politicis, & sæculari gubernio Deus posuit
 regere gentes, & Regna , ne per Ecclesiam fidelium a se constitutam sta-
 tus, & regimen politicum, aut turbaretur, aut ruinam pateretur, & pax
 insuper inter subditos, & gubernatorem conservaretur. Unde ad prob.
 dico : Christum fuisse factum obedientem usque ad mortem Patri Cœlesti,
 sequitur enim immediate : *propter quod exaltavit illum Deus.* Cum ete-
 nim propter adimplendam voluntatem ejus venerit, ut pro salute humanæ
 naturæ per peccatum perditæ pateretur, omnia explere voluit ea , quæ
 in natura humana exequenda habuit. Hinc dicit Pilato : non haberes po-
 testatem in me, id est : in vitam , aut mortem meam, quæ est politici
 Principis auctoritas ; nisi tibi datum esset desuper. Ex hoc tamen non
 video, quomodo Ecclesia Anglicana pro sui Principis Primitu prætensi-
 onem sumere velit, aut quoniammodo exinde eum cohonestare possit ? ejus
 etenim Regi libenter concedemus omnia ea , quæ Christus Pilato conce-
 sit ; sed Pilato Christus non concessit in vatam spiritualem aut animam suam ,
 vel suorum potestatem ; unde ergo eam Primates Ecclesiæ Anglicanæ habent ?
 Reddenda quidem sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris, quæ vero ista sint, declarat
 quæstio proposita *Mattb. 22.* *licetne censem dare Cæsari?* quod utique
 est quid temporale, a quo spiritualia penitus excluduntur per verba : red-
 dite, *quæ sunt Dei Deo* Unde optime faciet Primas Ecclesiæ Anglicanæ, si
 reddiderit , quæ sunt Dei Deo , quæ Deo Henricus. VIII. abstulit , & sic
 tuta conscientia possidere poterit ea , quæ sunt Cæsaris Angliæ , sibi a suis
 subditis , reddita , si eodem quoque minime impediverit , ut iidem
 Christi adimpleant mandatum , & una cum illo reddant , quæ sunt Dei
 Deo.

Argumentum II, ex testimoniis Apostoli petitum, quod utpote una so-
 luti-

lutione indigum, in unum coacervabitur, ne prolixa solutionum multitudo
tardum pariat.

Apostolus præcipit ad Rom. 13. omnis anima potestatisbus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. v. 4. Dei enim minister est, vindicta in iram ei, qui malum facit. Ministri enim sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui rectigal, rectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; Ergo cum teste Apostolo Principi sæculari subditi sint, & ei obedire omnes teneantur in conscientia, ille videtur esse Caput Ecclesiæ a Christo constitutum. q. vere: pauper Aristoteles cogitare pedes! Unde mirandum sane est: quomodo nam ex his Apostoli textibus Principes mere politici subjectionem Christianorum inferri vel somnare possint; cum Paulus aperte, citatus loquatur de Principibus Ethniciis, quos tamen una nobiscum, credo, non admittent adversarii Capita Ecclesiæ in spiritualibus fuisse. Porro Apostolus hortatur fideles in politicis subditos esse debere Principibus in conscientia, ne cæteroquin Christiani odio exponantur tamquam rebelles; si in politicis, Principibus a Deo in his præpositis subesse nollent. Etenim Christus novum testamentum condendo, ducens fideles ad æternam salutem, non voluit per hoc iura gentium violare, & evertere regimen politicum Principum, vi cuius quicunque suo Principi subesse, & tributa dare tenetur, neque etiam Apostolus aliud docuit, quam quod Christus prædicavit. Unde sicut duplex in orbe Caput est, unum in spiritualibus, alterum in politicis, ita & fideles utrique obedientiam præstare tenentur; sed cuilibet in suo foro competenti, reddendo videlicet: Cæsari, quæ sunt Cæsar, & quæ sunt Dei, non Cæsari sed Deo. Unde non negatur, quin Principi etiam mere politico fideles obedire teneantur, & hoc quidem in conscientia: cum obedientia illa necessaria sit ad conservationem totius Reipublicæ, ad quam conservatinem omne membrum concurrere tenetur, non præcise vi juris Divini, sed & naturalis, qua non habita, dissensiones facile in promptu sunt, post quas Regnum in se ipso divisum facillime desolabitur. Ast subjectionem hanc, quam subditi Principibus politicis præstare tenentur locis citatis assignat Paulus, ea enumerando, quæ Principibus mere politicis fideles tribuere tenentur, videlicet: *tributum, rectigal, timorem, honorem;* quæ omnia temporalia sunt, partim ex jure naturæ, partim humano civili, justo tamen provenientia. Sed obsecro! quomodo ex his inferet id, quod Apologista prætendit ergo Rex juxta Apostolum est supremum Caput in spiritualibus Eccle-

Ecclesiæ! quia Apostolus docet obedientiam præstandam Regibus esse in temporalibus , tributis , vestigalibus ? si etenim funes , & catenas colligeremus infinitas , hanc consequentiam ex textu Apostoli non extrahemus ; quam nihilominus Serenissimus Apologista a suis subditis extrahi jubet ; verum quo jure? non alio sane , quam eo : si nihil attuleris , ibis Homere foras ! Ast hoc jure non Princeps Christianus solum , sed & Ethnicus Ecclesiæ in spiritualibus supremum Caput se statuere poterit , quoniam ea omnia ab Apostolo recensiata , & Principi Ethnico debentur ; utpote in politicis constituto ministro iustitiae Dei , & conservatore totius corporis politici.

Urgebis : Apostolus *Heb. 13.* præcipit : *obedite Præpositis vestris , & subiacete illis , ipsi enim pervagilant , quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Idem Apostolus ad *Timoth. 2. v. 1.* rogat : *obsecro igitur , pri-
mum omnium fieri obsecrationes , orationes , postulationes , gratiarum actio-
nes pro omnibus hominibus , pro Regibus , & omnibus , qui in sublimi-
tate sunt ; ergo Apostolus præcipit Præpositis etiam sæcularibus in spiri-
tualibus obediendum esse , cum & illi pervagilent , quasi rationem pro
animabus reddituri.* R. Hæc esse præcipua fundamenta ex novo testamen-
to pro Primatu spirituali Regem , sed vere de eo nequidem somniant tex-
tus citati. Nam Apostolus citatus iisdem Præpositis obedire præcipit de
quibus in cap. cit. paulo ante decit : *Mementote Præpositorum vestrorum ,
qui vobis locuti sunt Verbum Dei.* Verbum autem Dei Principes sæcula-
res Romanis utique locuti non sunt , sed Petrus , aliqui Presbyteri Præ-
positi fidelibus ; sicutur citatus textus non est rem. Ad secundum
textum dico : quomodo quælo rogat , ut orent pro Regibus . videat Apo-
stolum ulterius Apologista ; eo enim modo orandum pro Regibus dicit ,
quomodo testatur : *Bonum esse , & acceptum coram Salvatore nostro Deo ,
qui omnes homines vult salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire ;*
Et hoc modo pro omnibus Regibus , una & Rege Anglia universa orat
Ecclesia , ut ad agnitionem veritatis veniat , sibiique reservet , quæ sunt
Cæsaris , redatque , quæ sunt Dei Deo ; & sic Primatum Anglicanæ Ec-
clesiæ ex testamento novo probare non egebit , fietque *unum ovile , &
unus Pastor.* *Joan. 10. v. 16.* Ille nempe , cui Christus dixit : *pasce oves
meas Joan. 21. v. 17.*

Alia defensores Primatus Anglicani cum ex novo testamento momen-
ta non adferant , præter posita nullius momenti , non est necesse super
alia multis insudare solutionibus ; his siquidem ex *Apologia propositis* ,

credo, per responsiones datas in tantum satis factum esse, ut ex iis (tamen si juga centum boum jungerent) minime trahere tamen possent prætensam consequentiam: ergo Rex ex vi novi testamenti est Caput supremum in spiritualibus Ecclesiæ Anglicanæ. Porro pergamus cum hac comoda occasione ulterius.

§. V.

Contra II. Resolutionem argumenta partis adversæ solvuntur.

A Rgumentum contra I. Resolutionis partem ex jure naturæ petitum. Jus naturæ exigit conservationem naturæ humanæ in societate perfecta, & adunata constituta, atqui societas hæc maxime adunata conservatur, quando in Republica unus Gubernator est, a cuius nutu omnia cætera membra in omnibus reguntur, ergo jus naturæ exigit Gubernatorem unum membrorum, a cuius nutu omnia membra in omnibus reguntur, id est: tam in politicis, quam in spiritualibus. B. c. M. dist. m. societas hæc maxime adunata conservatur, quando in Republica externo, & politico regimine membra in unitate regens, unus Gubernator est c. m. simul externo, & spirituali regimine membra in unitate regens subd. ut jus naturæ se habeat ad similem Gubernatorem, si ipsum Deus Reipublicæ præficeret, permissive c. m. exigitive n. m. &c. c. Jus etenim naturæ tunc finem suum assequitur, quando corpus Reipublicæ integrum manet, & non destruitur, ad hunc autem finem assequendum sufficit unus Gubernator, qui per externum regimen, externe membra adunata contineat, quod sit per actus quatuor juris præcipuos, ut sunt: præcipere, permittere, prohibere, & punire. Ut autem potestas externa, cum potestate ad interna, & spiritualia simul conjugatur, ad hoc jus naturæ se non habet exigitive, sed permissive solum; quia tamensi membrorum actus interni sint contrarii, dummodo externi sunt actus juxta leges Gubernantis, nunquam timenda est scissio unitatis Reipublicæ, nisi illi per actus externos ruinam machinentur, cui tamen per Gubernatorem externe coercentem reos, subveniri potest, jurique naturæ satis fieri; at quod ea potestas, simul potestatem in spiritualia adnexam habeat, id jus naturæ non exigit, cum hoc ab uno exerceri citra summam confusionem unius, & alterius regiminis sit moraliter non facile possibile, seclusa speciali, & extra ordinaria Dei providentia. Unde jus naturæ se non extendit ad supernaturalia, velut est salus hominum per fidem Christi unice obtainenda, cum totum suum jus

jus natura perfecte habuisset, tamensi homo ad finem supernaturalem conditus non fuisset, per consequens potestatem spiritualem cum politica jus naturæ neque positive excludit conjungi, neque etiam exigit; unde potestas hæc spiritualis si Regibus competit, prout defensores Primatus Anglicani prætendunt, non a jure naturæ, sed a Divino, aut saltem humano eis potenda erit.

Argumentum I. contra II. partem Resolutionis pro Primatu Ecclesiastico Regis ex Testamento veteri petitum, & ex factis principum sæcularium.

Moyses fuit Dux, & Princeps laicus (Sacerdos siquidem primus fuit Aaron in lege veteri) atqui Moyses jure Divino habebat Primatum in rebus Religionis, ut constat Exodi. 18. *Esto tu populo in his, que ad Deum pertinent, ut referas, que diruntur ad eum: ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi;* ergo etiam Principes laici jure Davino habent Primatum in rebus Religionis. & ad argumentum (quod Rex Jacobus in Apolog. Sacellanus in defensione Apologizæ objicit) quod argumentum a clara revelatione scripturæ, ad nullam scripturæ revelationem nullum sit; si etenim scriptura de omni Successore in laica potestate Moysis id loquitur, conniveri posset Primi Ecclesiæ Anglicanæ aliquid ex hoc textu; postquam autem determinate Deus dicit soli Moysi: *Esto tu populo in his, que ad Deum pertinent,* quomodo, quaso, hoc ad alios Principes laicos extendi potest? aut qua via hæc spiritualis potestas volavit ad Angliam? ideo enim Moysis constitutus fuit in his, que ad Deum pertinent, quia fuit simul Princeps, Dux, Propheta, & Sacerdos populi Israel, velut Psal. 98. ait: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus;* & docet S. P. Augustinus lib. 3. de vita Moysis. Unde Moyses erat figura Christi; Aaron primi summi Sacerdotis a Christo constituti. Quemadmodum enim in Christo erat dignitas Regis, Prophetæ, Sacerdotis, & Institutoris primi Ecclesiæ legis gratiæ: ita in Moysi erat dignitas Principis, Prophetæ, Sacerdotis, & primi Promulgatoris legis Hebraicæ: Unde sicut Christus, qua primus Institutor qua Propheta, qua Sacerdos jus habebant administrandi Ecclesiam in Divinis, ita Moyses, qua primus Promulgator legis, qua Propheta, qua Sacerdos, jus habuit præsidendi, & regendi in Divinis Synagogam. Unde Moyses erat summus Sacerdos extraordinarius cum majori amplitudine in Synagoga, velut Christus in Ecclesia; Aaron vero erat Sacerdos summus ordinarius, & ex officio a Deo constitutus, velut Petrus a Christo, & uterque primus, sed in ordinario offi-

cio suo. Ast quæ hæc illatio a Moysè ad Angliæ Primates ? qui nec pri-mi promulgatores legis Christianæ sunt , nec Prophetæ , nec Sacerdo-tes !

Argumentum II. Qui potest constituere Levitas , & Sacerdotes in ali-qua civitate , habet spiritualem potestatem , atqui Rex laicus Josaphat constituit Levitas , & Sacerdotes in Jerusalem , ergo habuit spiritualem potestatem , consequenter ab hoc exemplo Primitatum suum spiritualem Anglia recte deducit ex testamento veteri . M. est innegabilis . m. p. 2. Paralip. 19. v. 8. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas , & Sacerdotes , & Principes familiarum ex Israël , ut judicium , & causam judicarent ha-bitatoribus ejus ; ergo &c. R. Cum textum hunc in Scriptura legit Sere-nissimus Apologista a quo hæc objiciuntur oportuisset , ut contextum etiam aspicere dignatus fuisset , in quo clare deprehendisset , argumentum mul-to fortius contra Regem , quam pro Rege stare . Unde Contextus sic habet : *Omnem causam , quæ venerit ad vos fratram vestrum , qui habitant in urbibus suis , ostendite eis , ut non peccent in Dominum . Amarias autem Sacerdos , & Pontifex vester , in his , quæ ad Deum pertinent , PRÆ-SIDEBIT . Porro Zabadias filius Ismaël , qui est Dux in domo Juda , su-per ea opera erit , quæ ad Regis officium pertinent .* In quo textu tria notanda sunt ; primo : quod Josaphat Rex non solum Levitas , & Sacerdo-tes sed & Principes familiarum constituerit in Jerusalem ; Secundo : quod illos omnes in eum finem constituerit , ut essent judices controversiarum , quæ in populo oriri solent . Tertio : quod in controversiis Ecclesiasticis , quæ ad Deum pertinent , Sacerdotes constituti sint judices , in civilibus vero , quæ ad officium Regis spectant , Principes familiarum ; unde sic infertur : ea quæ ad Deum pertinent sunt distincta ab eis , quæ pertinent ad officium Regis , ergo Rex ex officio suo , non potest se immiscere eis , quæ ad Deum pertinent . Porro non sumit ibi Scriptura , quod Rex Josaphat fecerit Sacerdotes , sed ex Sacerdotibus consecratis designaverit aliquos pro judicibus causarum spiritualium , ut potestatem , quam de se vi officii habebant , in exercitio exercere possent , & talem potestatem Regi Angliæ libenter concedemus , sicut & cuicunque alteri Regi , id est : Sacerdotes consecratos nominandi , præsentandi pro exercitio officiorum suorum , ita ut per hoc potestatem Sacerdotibus Reges non conferant sed idoneos de-signent , & præsentent ad judicia Dei populo facienda , & monstranda ; verum ex hoc nullus Rex erit Supremum Ecclesiæ in spiritualibus Caput , sed

◎ ○ ○ ◎

sed solum Custos, Procurator, & Defensor; qualem & nos Regem Angliae si contentari se siverit, libenter admittemus.

Argumentum III. ex factis quorundam Regum veteris testamenti peti-
tum. I. Ille est supremus in Ecclesia omni, qui in ea exercet jurisdictionem,
atqui in testamento veteri Reges exercuerunt supremam in Synagoga ju-
risdictionem, ergo & illi fuerunt supremi in Ecclesia Synagogæ; quorum
exemplo, & Rex erit Supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ. m. declara-
tur ex factis Regum Sæpe etenim reprehenduntur Reges, non Sacerdo-
tes, quod excelsa non abstulerint, in quibus populus sacrificabat, & quæ
magnum abusum in Religione testamenti veteris causabant. II. Rex Da-
vid, perduxit arcam ad constitutum locum quietis. I. Paralip. 13. v. 12.
Ante arcam deportandam præsaltavit. 2. Reg. 6. v. 14. ergo habuit Pri-
matum Synagogæ. Hoc argumentum Sacellanus Regis plurimi facit, &
vim suam in eo maxime ponit: quod David saltaverit ante, non post ar-
cam & eo ipso, inquit, signisigavit se Primatum tenere in negotio arcæ
deportandæ. III. Rex Salomon ædificavit templum & Deo dedicavit.
Deposuit Abiathar summum Sacerdotem ab officio, subrogato illi Sadoc
Sacerdote. 3. Reg. 2. v. 27. qui sunt actus jurisdictionis in materia Re-
ligionis. IV. Josias Rex librum legis populo, legi, & promulgari fecit;
& fædus inter Deum, & populum redintengravit quæ certe sunt signa su-
premæ in Synagoga potestatis. V. Ezechias Rex confregit serpentem
æneum, quem Moyses ex mandato Dei populo proposuit, postquam is
multorum abusum in Religione Judaica causa fuit, ergo supremam po-
testatem hoc faciendi habuit. Ac denique. VI. in testamento veteri Re-
ges dicuntur: filii Altissimi, Dii, uncti Domini, in folio Dei sedentes,
Dei famuli, & angeli Domini, facti juxta cor Dei, lumina Israelis, nutri-
tii Ecclesiæ; quæ omnia probant Reges in testamento veteri supremos fu-
isse in Ecclesia, seu Synagoga Gubernatores, ergo. Et hæc sunt præcipua
mysteria, quæ Sacellanus ex testamento veteri fert pro tñendo Ptimatu
Ecclesiæ Anglicanæ. Verum antequam deveniamus cum toto corpore,
una ac singulis membris ad anatomiæ, singula ad examen pro approba-
tione jurisdictionis Ecclesiasticæ veniant prius. Porro.

B. ad I. Quod aliud sit judicare, & declarare abusus, & corruptelas in Religione, & aliud decretos abusus, & declaratas corruptelas tolle-
re, & exterminare; prius pertinet ad officium summi Sacerdotis; poste-
rius vero non modo ad Regem, sed & omnem Patremfamilias, quilibet
enim horum tenetur abusus, & corruptelas Religionis certas, & ut tales de-
claratas tollere. Cum itaque divinitus per Prophetas constiterit in ex-

celfis immolations fieri non debere, sed in solo templo; Rex itaque immolantes similes contra prohibitionem Divinam non tantum ab excelsis prohibere potuit, & abusum hunc tollere, sed insuper ad id tenabatur; sicut & quilibet alias Rex abusus Religionis ab Ecclesia, aut Deo declaratos tenetur in suis Regnis impedire, & Paterfamilias in suo domo. Sed ex hoc minime erit supremum Caput Religionis Rex, aut Paterfamilias, quod mandata Dei, aut Ecclesie a suis tenenda procuret; sed solum executor voluntatis Divinæ, sicut & Reges in Synagoga fieri debuissent; quod quia non fecerunt, ideo reprehensi sunt a Deo. Cur autem Reges potius, præ-Sacerdotibus in testamento veteri reprehensi inviniantur, quod excelsa non tollerent? id factum est ideo: quia populus Judæorum propter duritiam cordis non curabat exhortationes Sacerdotum, & monita Prophetarum, neque aliter, quam vi, & auctoritate Regis ab errore hoc abducendus erat. Ita que cum in hoc exequendo Reges negligentes fuerint, & desides, merito, a Deo sunt reprehensi; quod Sacerdotum monitis suam operam executive non ad junxerint. Sed ex hoc minime potest inferri, id quod optant defensores Primatus Anglicani, ut consideranti facile patebit.

Ad. II. dico: quod non solus Rex David perduxerit arcam ad constitutum locum, sed velut habetur 1. Reg. 44. *Misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam federis Domini exercituum.* 2. Reg. 5. v. 6. *David autem, & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in jubilo.* At nemini licet eam tangere, nisi solis Sacerdotibus; hinc Oza, quod tangere eam præsumperit, cum Sacerdos non esset, morte a Deo punitus est. 2. Reg. 6. v. 6. Unde sicut omnis populus non erat Supremum Caput ex hoc Synagogæ, ira ex hoc David minime inferri potest fuisse Caput Religionis. Ad id subtile Sacellani Regis additum evincere rupientis fuisse Davidem supremum Caput Synagogæ, ex eo, quod ille saltaverit ante, non vero post arcam, per quod Primatem in Synagoga Davidem significari vult, dico: dolendum millies esse, quod totum Scripturæ locum non bene perspexerit Sacellanus Regis, invenisset etenim etiam boves arcam trahentes præcessisse, non vero secutos esse; forte & ex his insigne a se defensi Primatus Anglicani sumplisset argumentum; commoda saltam occasione hunc Primatum ex Synagoga ad Ecclesiam Anglicanam trahere potuisset. Verum non suppono eum tam malum politicum futurum in Serenissimum Regem suum! Ast quomodo ergo ex hoc inferet: David saltavit ante arcam, non post arcam, ergo Primas in Sy-

nagoga fuit? ni identidem in boves arcam præcedentes & non sequentes ex omni parte impingat?

Ad III. dico; id ipsum, quod fecit Salomon, quilibet dives mercator facere potest, id est: templum ædificare, Deo dicare seu in honorem offere, per Sacerdotes consecrare (veluti Salomon fecit) quin tamen Primas Religionis sit futurus. Ad dedicationem enim templi convenit non solus Salomon, sed & Sacerdotes, & una populus; Sacerdotes intulerunt arcam, tabernaculum, & omnia vasæ Sanctuarii in templum; victimæ, & sacrificia oblata sunt per Sacerdotes. Salomon Deo gratias persolvens precatus est, ut quicunque oraturi sunt in templo hoc exaudiantur. Ex quo igitur, quæso, titulo Primatus Salomonis infertur, ubi omnes actus Religionis non Salomon, sed Sacerdotes obivisse perhibentur?

Depositum quidem Salomon Abiathar summum Sacerdotem, Sadoc ejus loco subrogato, sed an jure? ipsi interpres non convenient in hoc; factum etenim Salomonis, minime jus faciendi probare potest! gravissimi authores constanter asseverant: Salomonem, non Regiam, sed Prophetica potestate in hoc usum fuisse, & ex peculiari instinctu Dei id fecisse. Nam id ipsum olim Heli Summo Sacerdoti fuit prædictum a Deo per Samuel, quod officium Sacerdotale propter impunitos a se filios, aliquando auferetur a familia Heli. 3. Reg. 2. v. 27. Ut ergo hæc prophetia impleatur, Salomon novo constructo templo, novum Sacerdotium Prophetico spiritu nominavit, & abstulit Divino motu instinctu Summum Sacerdotium ab Abiathar, qui erat ex familia Heli. Ast nunquid etiam Jojada summus Sacerdos non solum depositum, sed & occidit Athaliam Reginam, & Joas Regem in locum ejus substituit? 4. Reg. 11. Quidni potius inferratur, sumnum Sacerdotem potestatem habuisse super Regem? Unde ex hoc toto, non videtur, quomodo possit inferri id, quod Sacellanus Regis pro Primatu ejus adstruendo querit.

Ad IV. dico: quod Josias populo librum legi, & promulgari quidem fecit; sed librum hunc Helcias Pontifex, libri repertor, eo fine Regi misit, ut eum promulgari faceret, sciens optime: quod vi Rex plus efficere possit, quam summus Sacerdos verbis; hinc executionis libri sibi eum adjunxit scilicet, ut ita quod Helcias exequi vellet verbis juxta tenorem libri reperti, Rex exequeretur vi, & auctoritate Regia id cogendo. Promulgari quidem Rex librum fecit, sed juxta mentem subinsinuatam Helciae summi Sacerdotis; ex quo non Primatus Regis, sed dependentia colligitur a Sacerdote, cuius Josias mentem, & intentum executus est. Quod vero Josias fedus inter Deum, & populum redintegraverit, ex hoc minimum Pri-

Primatus prætensus patrocinium sperandum habet; nam hoc non Regi solum, sed & cuilibet privato homini licitum est, optandumque foret, ut singuli Christiani adeo ad invicem affecti essent, ut inito fædere cum Deo, promitterent se legem Dei servaturos, & singuli singulos ud eam servandam charitable urgerent. Verum ex quo Capite inferetur eos, aut Josiam suprema esse Religionis Capita? sane ex nullo alio, quam ex eo: ex quo Sacellanus, una ac suprema Ecclesiæ Anglicanæ Capita esse volunt, nempe: ex Capite proprio; verum ubi manet: id ex testamento veteri erui posse?


Dices. Inde manet, quia præcepit Josias Rex Pontifici, & Sacerdotibus: ut projicerent de templo Dei omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & aliis falsis Diis, & insuper mandavit celebrari Pascha, cuius celebratio diu fuerat intermissa. R. Quod primum minime in eos demonstret jurisdictionem exercuisse, sed solum eos commonuisse officii sui, ad quod aliunde obligabantur; quod præstare potest omnis etiam infimus respectu supremi, quin tamen ejus Caput supremum sit. Alterum minus demonstrat Primatum Regum supra Sacerdotes, quia unice Sacerdotes urget monendo, ut ad id populum adhortentur, adquod qopolus aliunde vi legis servandum tenebatur; ex hoc tamen non Superioritas Regis supra Sacerdotes sequitur, sed eorum sola admonitio fraterna, cuilibet etiam privato, servata debita reverentia, licita. Unde non judicium de formatione Synagogæ Regi adscribendum est, utpote extra forum ejus, sed sola executio imputanda. Non ergo Primas Synagogæ exinde infertur, sed solum legum Divinorum executor, qualis esse potest omnis auctoritatem habens, sed maxime Rex, utpote suprema vi coactiva, & executiva ad leges Dei præditus.

Ad. V. dico: Nihil Ezechiam speciale in Ecclesia veteris testamenti exercuisse, ex quo Primatus in Synagoga ejus deduci posset. Nam postquam serpens æneus occasio cœpit esse Idolatriæ, non ei solum, sed & omnibus destruendi serpentem facultas data est ex jure naturæ, tuidente mali aversionem a proximo suo, præsertim spiritualis; unde quod hoc Ezechias fecerit, id cum auctoritate indisputabili fecit, quæ forte aliis controversa fuisset, quamvis injuste. Hinc quod aliquis auferat aliquod malum, quod præbet occasionem proximo ruinæ spiritualis, quamvis id ab initio bonum reputatum sit, non propterea censendus est Primas Religionis; sed exinde ad summum infertur, cum viri honesti, & Deum timentis, non tantum propter conscientiam salvandam propriam, sed & aliorum, functum fuisse officio; quod non tantum Regi, sed cuilibet pot-

tenti id præstare, etiam subordinato lictum est; absque minima consequentia, quod propter hoc factum, sit futurus Primas Ecclesiæ.

Ad. VI. Ex titulis Regibus testamenti veteris tribui solitis a Scriptura, dico: illos filios Altissimi vocari eo modo, quo vocantur omnes illi, qui sincere orant: *Pater noster, qui es in Cælis.* Si enim hoc vult proprium esse Regibus Sacellanus, nec se filium Dei adoptivum nominare poterit; nisi dicere velit: omnes quidem pios, filios Dei esse, sed Reges modo peculiari. At num etiam scelerati Reges, & Idololatæ filii Dei sunt? certe non, nisi probi; jam ergo, non sane qua Reges, sed qua probi filii Altissimi sunt. Dii vacantur non Reges, sed Judices, quia ad hos Christus loquitur Joan. 10. v. 34. *Ego dixi Dii esis.* Uncti dicuntur non solum Reges, sed & Sacerdotes, quilibet nempe pro munere, & officio suo, nam Levit. 8. v. 12. habetur: *Fundens oleum super Caput Aaron, unxit eum & consecravit;* Sed, quid faciunt quæso ista ad rem Regis? Reges insuper dicuntur: in folio Dei sedentes, famuli Dei, Angeli Dei, facti juxta cor Dei, lumina Israelis, ducentes Israel ad viam bonam per regimen suum Regium, exequendo, & jubendo exequi a suis subditis mandata Dei, vi, & auctoritate politica, ibi, ubi verba Sacerdotum robur in animis obduratorum locum non habent. Verum quomodo ex hoc inferetur, quod Sacellanus Regis prætendit, videlicet: exemplo Regum testamenti veteris Angliæ Regem esse Primatem in spiritualibus in Ecclesia Anglicana.

Dices: ex eo inferri, quod Isaïæ. 49. v. 23. dicitur: *& erunt Reges nutritii tui, & Regina nutritie tue.* R. Verum placeat addere Dominum Sacellane, id quod sequitur: *Vultu in terram demissò adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent;* & sic erit solutum argumentum. Loquitur enim Propheta non de Regibus, sed de Christi Ecclesia, prædicens fore tempus futurum aliquando: quod Reges, & Reginæ gentilium convertentur ad fidem Christi, & sic magno incremento augebunt Ecclesiam. Ex quo minime sequi potest: Reges, & Reginas Primates fore Ecclesiæ, sed potius filios, & subjectos. Ex hoc igitur præmisso toto: Concluditur contra Sacellatum Apologiam Serenissimi Regis Jacobi defensorem: nullum exstat jus Divinum veteris testamenti pro Primatu Ecclesiastico Regum; exstat vero abunde citatum jus clarum pro Primatu Sacerdotum; nec adversarios ullum jus pro se haec tenus ex testamento veteri allegasse. Unde si ex veteri testamento nil adferri potest pro Primatu Regis, ostensum sufficienter erit: Reges in spiritualibus nullo modo esse Primates Ecclesiæ. Ete-



nim Sacellanus ipse ultro fatetur: *Fundamentum illius Primatus in solo veteri testamento queri oportere* (quod tamen quoad fidem, una ac gubernium totaliter abrogatum est, velut omnis novæ legis sanx mentis cognitor ultro fatebitur) & *nullum illius in novo testamento vestigium, aut exemplum reperiri*; & merito, ab eo enim illum supra abunde absolvimus, demonstrando: non solum ex novo testamento id erui non posse, verum & ipsum Christum in novo testamento a prætenso Primatu Reges exclusisse.

His itaque absolutis ex Jure Divino (cum ceu vir honestus suum defensum, salvari cupiat nihilominus primatum Regis Sacellanus) digredietur cum eo ad jus humanum.

Argumentum I. contra III. Resolutionis partem, ex jure Canonico petitum. Patres Concilii Arelatensis petunt a Carolo Magno statuta conciliaria emendari. Can. ult. *Ut siquid minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid scelus, quam ratio habeat, ejus iudicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est ejus adjutorio Divina opitulante clementia perficiatur.* Ergo agnoverunt eum supremam in negotiis Ecclesiasticis potestatem habere.

II. Patres Concilii Chalcedonensis cap. 14. Tom. 4. petunt supplices ab Imperatore, ut definita in Concilio robur habeant. Item in Concilio sub Menna in libello Epistolarum ad Justinianum Imperatorem Act. 1. clare ostendunt, plenitudinem discretionis in hæreticos esse penes Imperialempotestatem; & Act. 4. dum flagitant Patres hæreticos feriri anathemate, respondit Menna - - *Nihil eorum, que moventur in Ecclesia convenit fieri preter Principem, & jus pii Imperatoris. Itaque rogamus vestram charitatem in presentiarum quiescere, ut tempus accipiamus adducere ad pias aures, quæ a nobis acclamata sunt - - ergo Imperator habet jus in causis Religionis.*

III. Reges Galliæ, Carolus, Ludovicus, Lotharius, & alii, multa pro disciplina statuerunt Ecclesiastica, quæ collecta sunt a Benedicto Levita, & Anselmo Abbe in celebri summa Capitularium Gallicanorum, quæ hactenus sanctissime a Clero Ecclesiæ Gallicanæ custodiuntur, ergo habuerunt jus ea faciendi, cum nemine contradicente ea non solum acceptata sint, sed & diligenter observata.

B. Ut hæc, & similia plura, quæ referuntur facta Regum debite salvati possint absque minimo præjudicio summi in Ecclesia Sacerdotis, notandum

dum est: quod Imperator, aut Rex aliquis, quandocumque fecit aliquid circa Ecclesiastica, aut res fidei, id semper factum fuit, aut ex consensu Concilii, aut ex post approbante Pontifice, & ordinationem sua stabiliente auctoritate; aut decreta concernebant jus civile magis, & regimen politicum, aut denique factum Ecclesiasticum solam executionem, & adjutorium brachii secularis ad stabilienda decreta Conciliorum concernebat; hoc autem non est res Religionis definire, aut condere decreta, sed aut definita exequi, aut a se concepta judicio summi Sacerdotis, & ejus consensui submittere, & sic omnia facta Regum, & Principum piissimorum, quæ in actis historiarum referuntur, & non aliter facta esse deprehenduntur; per quod non superioritas, sed dependentia potius a supremo Sacerdote infertur. His porro pro omnibus factis Principum secularium generatim presuppositis, nunc in particulari ad singula respondeo:

Ad. I. quidem: quod decreta in Concilio Arelatensi plura solum ci-vilem moralitatem, & laicos afficientem in iis, quæ illi vi legis Imperatorum potius servare tenentur, concernebant (ut quod laici non ejicant Presbyteros a suis Ecclesiis; ut laici non exigant munera a Presbyteris properter commendationem Ecclesiæ; ut judices munera non recipient pro iudicio; ut quilibet suos tempore famis gubernet; ut pondera, & mensuræ ubique æquilia sint, & justa; ut diebus Dominicis publica non fiat mercatura; ut placita publica, & secularia non fiant in atriis Basilicarum; ut Comites, & Judices res pauperum non emant, vel per vim tollant; ut publice convicti de crimine publicam agant pénitentiam) & ideo, quia ex his ad jurisdictionem politicam spectant aliqua potius, quam ad materiam fidei, postulant Patres, ut sua prudentia emendet si quid non bene fuerit dispositum, cum ea potius ad Imperatorem quam ad Presbyteros pertineant. Ceterum in rebus fidei non se Concilia Carolo submisserunt tanquam judici, & Primi in Divinis, unde ministeriales in his egit Carolus partes in procuranda restauratione disciplinæ Ecclesiasticae. Et quamvis Carolus quinque Concilia celebrari curaverit, in his tamen omnia per Sacerdotes disponi voluit, ut Regino ostendit ad annum. 813. Authenticam tamen convocationem ad Romanum Pontificem pertinere ipsemet docuit.

Ad. II. dico: Patres petunt ab Imperatore, ut definita in Concilio robur in executione habeant, quatenus ni vi, & Imperatoria potestate manuteneantur, facile per malevolos in cassum cadere definita potuisse, unde Mennas cum anathemate ferendo supersedendum monet Patres, in hæreticos, usque dum de hoc certior fiat pius Imperator, ut vim in exe-

quendo Parrum mandatis, & auctoritatem jungat suam. Ceterum Marciānus non se, sed Romanum agnoscit Pontificem Caput Ecclesiæ, clare alloquens Leonem Pontificem in responsione ad Epist: Leonis scriptam Theodosio, quem defunctum invenit, nihilominus his verbis ad eum scribens: *Tuam Sanctitatem Principatum in Episcopatus Divinæ fidei possidentem sacris literis in principio justum credimus esse alloquendum*, Si ergo Marciānus fidei Divinæ Principatum apud Romanum Pontificem esse agnoscit, quomodo ergo se Primatem esse Ecclesiæ creditit.

Quæ vero ex concilio C. P sub Menna proferuntur, possent parvum, quoniam quando hæc facta sunt, Concilium illud non erat legiti-
mum, donac post illius celebrationem accessit confirmatio Sedis Apostoli-
cæ; sed his opus non est, quoniam & Justinianus ipse Nov. 42. clare
declarat manus solum adjutrices se habere in causis Ecclesiasticis. Imo Men-
na ipse apud Romanum Pontificem tribunal admittit supremum; unde addit:
Nos enim (sicut scit charitas vestra) Apostolicam Sedem sequimur, &
ei obedimus. In quo tamen casu valde necessarium erat adjutorium bra-
chii sacerdotalis, quoniam hæretici cause sua fidebant, innixi patrocinio cu-
rialium personarum. Ex hoc tamen nisi vis probet supremam potesta-
tem Principum sacerdotalium in res Ecclesiasticas, velut in Anglia probat,
jus humanum in eternum non probabit.

Ad. 3. dico: Quod quamvis multa præfati Reges pro disciplina sta-
tuerint Ecclesiastica, illa tamen non prius suum robur, & vim obligandi
fortita sunt, quousque non approbata fuerunt a Sede Apostolica, vi cuius
approbationis factæ vim obligandi primo obtinuerunt; unde in præfatione
ad quintum librum bene Author citatus advertit dicens: *Et agnoscant omnes: hac predictorum Principum capitula maxime Apostolica auctori-
tate esse firmata.* Et Ludovicus lib. 6. cap. 267. habet: *ita unanimes
Divinis, & Apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiam-
ni pia Canonum Decreta violari, ut in nullo fas sit sine status sui peri-
culo vel Divinas constitutiones, vel Apostolice Sedis Decreta temerare.*
Videatur ergo clare reverentia, & obedientia a Ludovico præstata decretis
Romani Pontificis. Idem assertum habetur lib. 7. cap. 265. Carolinorum;
& in eodem lib. 7. cap. 187. ubi majores causas esse deferendas ad Sedem
Apostolicam traditur, & ideo in his Conciliis cum gravis aliqua oriebatur
questio, Romani Pontificis oraculum exposcebatur. Et ne prolixam se-
riem factorum referamus, quæ apud alios fuse enarrantur, sufficiat ea ex-
posuisse, quæ pro omnibus aliis factis Regum sufficient; unde viderint
num-

num ex his Apologiae defensores vel minimum momentum sperandum habent; sed ne quidquam ab ipsis desiderandum, & a nobis intermissum remaneat juris civilis statuta examinabit.

Argumentum II. contra ejusdem Resolutionis partem II. ex jure humano Civili petitum. Constanus Imperator. II. in proemio sui typi pro Monothelitis testatur ad suam pertinere curam, curare, & intendere, quæ respiciunt, & feruntur ad immaculatam nostram fidem; & eam insuper potestatem illi Patres tribuunt Concilii Romani consult. 2. sub Martino. I. cuius præsidium implorant: *ut turbo diabolice fraudis, sua clementie vigore valeat comprimi.* Et tametsi abusus sua sit potestate in stabilienda hæresi, quæ tamen de munere suo dixit, vera sunt, & Primatum indicant. II. Glodovæus Rex in Concilio Clypiacensi apud Aimoinum lib. 4. cap. 41. se utramque potestatem, tam spiritualem, quam temporalem habere nemine contradicente testatus est his verbis: *prius nobis convenit ea, quæ DEI, & Sanctorum ejus sunt disponere, ut postmodum ea, quæ nostra sunt (Deo dantes) ex sententia cedant.* Ergo Glodovæus vere habuit Primatum Ecclesiasticum. III. Imperatoribus parebat summus Sacerdos Romanus Pontifex, usque ad tempora Phocæ, a quo primum obtinuit primatum; ut patet ex Beda de temporibus Phocæ: *Hic rogante Papa Bonifacio statuit sedem Romane, & Apostolica Ecclesia Caput' esse omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana Ecclesia prima se omnium scribheat.* Ita Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobardorum cap. II. Hæc objicit Rex in sua Apol. contra Belarminum pag. 16. quam objectionem hausisse videtur ex cisternis vacuis Protestantium, minime valentibus ferre aquam puræ veritatis; quorum asserunt alii, a Justino Imperatore Papam habuisse Patriarchatum, ut Magdeburgenses centur: 6. Alii a Constantino. I. in edito relato dist. 96. cap. penult: ubi habetur: *Constantinus Imperator, quarta die, sui baptismi privilegium Romane Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant sicut Judices Regem - - -* Alii denique more suo id a Nicæna Synodo concessum asseverant, quatenus Leo. IX. ad Michaelem Imperatorem dicit: *Pontificem a nemine judicari - - Beatissimo, & Apostolico Silvestro decernente, & Constantino Augusto spirituali ejus filio cum universa Synodo approbante,* IV. A jure Imperatorum longo annorum decursu pendebat supremi Sacerdotis electio, verba sunt in Apol. pag. 26. &c. 27. *Sed & per atates, quam plurimas certum jus, & in-*

violatum apud Imperatores mansit Romanos creandi Pontifices - - Et adducit in testem Adrianum Papam, qui in Concilio. 153. Episcoporum contulit privilegium Carolo Magno eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam ; additque certam summam pecuniae datam aliquando a Pontificibus pro confirmatione obtainenda. V. Imperatores praesederunt Conciliis, ut Chalcedonensi Marcianus; Sexto Constantinus Pogonatus; Septimo Irene, & ejus filius; octavo Basilius; ergo fuerunt vere Primate Conciliorum, siquidem spectat ad Primates praesidere Conciliis. VI. Henricus I. Episcopatum Wintonensem Willermo Gifford concessit, eumque investivit, ex redditibus ad Episcopatum pertinentibus. Dedit insuper Rudolpho Cantuariensem sedem, eumque per annulum, & baculum investivit; destinavit Episcopos quosdam sui Regni ad Concilium Rhemis a Papa Calixto indictum. Turstanus Eboracenfis Pastor electus, licentia a Rege impetrata sub conditione, quod a Concilio non acciperet benedictionem, ivit ad Concilium, & cum a Papa fuisset consecratus, a Rege sua ditione expellitur. Edvardus III. Praedecessorum suorum premens vestigia statuit legem : ne quis in posterum obtineat Sacerdotia a Romano Pontifice, nisi per appellationem ad eum ea deferret, tultique penam in transgressores. His praemissis concludit Rex pag. 33. & 34.

Paucis bisce exemplis, satis ut opinor apparat : me omni calumnia liberatum, neque ambitione, aut novandarum rerum studio, quidquam esse molitus, quo aliquid Pontifici debitum subtraherem.

Hoc itaque praeципuum est ex jure humano petitum patrocinium protuendo Primatu Regio Ecclesiae Anglicanæ, scilicet : magnum Jovis incrementum ! unde his factis praesuppositis jus legitimum, num subsistat faciendo, examinabunt dicenda, unde.

B. Ad I. Quod Martinus non aliam, quam executivam potestatem cum Concilio agnoverit Imperatoris Constantis. II. Qui cum ea abusus fuisset, volens decreto suo haereticorum errorem corroborare lapsus in heresim, ipse eapropter, & decreta ejus damnata sunt a Martino. I. in Concilio Romano, & Numidienensi, & Bizaceno ; & quia in typo edendo excessit terminos sua potestatis : *Imperiale typum sacrilego ausu, totius plenum perfidie,* Vocat Martinus in Epistola ad Amandum. Porro non agnoscerre Patres in Principe illo ejuscemodi definitivam potestatem ex eo claret : quod ipsi soli dogmata definierunt ; sed ut definita executioni mandarentur praesidium saeculare implorarunt, maxime tunc necessarium, ubi totum robur haereticorum in aulica potentia consistebat. Ex hoc nihili-

nihilominus universo pro defendendo Primatu Ecclesiæ Anglicanæ unicum, & solum manet; ergo nihil dictum; quoniam ex abusu Constantii hæretici ad abusum sui Regis argumentantur.

Ad. II. dico: exinde non inferi aliud, quam ministeriale, & executivam potestatem Regibus etiam ultro concessam, si ea contentari cupiunt, veluti jure debent; & patet hoc ex textu Glodovæ Regis dicentis: *Prius nobis convenit ea, quæ Dei, & Sanctorum ejus sunt disponere id est: Sanctissimorum Episcoporum (Sancti etenim in Cœlo existentes utique Glodovæ nullam dispositionem dederunt circa ministerium, & executivam potestatem Ecclesiæ) ut postmodum quæ nostra sunt (id est: secularia) Deo dante, ex sententia cedant.* Ex quo, quid aliud inferri quæso potest, quam executiva potestas sibi a Sanctis hujus mundi demandata, quæ stare certe minime potest cum Primatu Ecclesiastico Caroli, quem ille non tantum non affectavit, verum de eo nedum somniasse testantur: pietas, obsequia, obedientia erga Romanam Sedem, ex tot bellis, quæ pro ea tuenda suscepit nota, ut hostes Romanæ Ecclesiæ profigaret, eique subderet. Item ex oblatione facta alteri Sancti Petri pro gratiarum actione victoriarum; ex professione Apostolica fidei; ex elogio, quod in ejus laudem erudit S. Remigius post ejus obitum. Hoc posito, quid ergo aliud remanet pro Primatu Anglicano, quam illud optandum: utinam Principem hunc, si non ad gustum suum, quem vult, saltem ad gustum hunc, quem deberet, sequeretur, una ac imitaretur Princeps Anglicanus.

Ad. III. dico: falsissimum esse Imperatoribus paruisse Pontifices in munere regendæ Ecclesiæ ante Phocæ tempora, aut eos ab Imperatoribus Primitum primo accepisse; siquidem Primatus Ecclesiæ a Christo institutus est, sicut & ipsa Ecclesia, ad cuius essentiam necessaria est forma regimenis; quæ autem sunt a Domino constituta, non possunt ab hominibus minui, aut mutari; & alias Ecclesiæ regimen est antiquius omnibus Imperatoribus Catholicis, & quidem ab omnibus agnitus apud Apostolicam Sedem, velut tot appellationes, recursus, concilia, auctoritates Patrum fuse demonstrant, & probant. Dicta ergo Patrum, aut Conciliorum, quæ ad oculum contraria videntur, non loquuntur de potestatis collatione eam constitutuente, sed solum declarante, defendant, & conservante in habita a Christo potestate contra injuste dictam potestatem impetentes, velut erant Constantinopolitani Patriarchæ. Certum etenim est Ecclesiam Romanam ante tempora Phocæ primatum habuisse, quem propterea a Phoca

ca accipere minime potuit, utpote ante ejus tempora habitum; id etenim luculente testatur Gregorius Magnus, annis circiter quinque ad imperium Phocæ lib. 7. Epist. 63. ad Joannem Siracusanum scribens: *de Sede CP.*
quis dubitat eam Apololice Sedi esse subjectam? quod & Dominus piissimus Imperator, & frater meus Eusebius ejusdem civitatis Episcopus esse due profitentur. Et Justinianus Senior. 70. annis ante Phocam in Epistola ad Joannem. II. Valentinianus. 140. annis ante Phocam in Epistola ad Theodosium asserit: *Romanam Ecclesiam esse Caput omnium Ecclesiarum;*
Romanum Pontificem super omnes Sacerdotii Primatum habere. ---
Causa vero cur Phocas declarativum decretum ediderit, est: quia CP. Præsules, propter excellentiam urbis, & Sedem Imperatorum usurpare tentarunt ex ambitione titulum, universalis Episcopi, quem titulum Pelagius, & Gregorius eis usurpari prohibuit; cumque nihilominus monitis parerent minime, ad eos coercendos implorata ope Imperiali obtinuerunt speciosi tituli, & affectati abrogationem, Phoca declarante contra eorum ambitionem: *Romanum Pontificem Primatum habere super omnes Ecclesias,* ut dicit Beda loc. cit. in objectione.

Quod vero dicitur Papam a Justino habuisse Patriarchatum, falso esse docent acta Chalcedonensis Concilii, in quo Caput, & universalis Papa appellatur.

Constantinus vero in objectione propositus dictum dubium ipsemet solvit in suo edicto relatus dist. 96. can. Constantinus: *Salvatorem Petro constituisse potestatem.* Petrum, & Pontifices judicat constitutos Vicarios filii Dei; imo vocat Imperium, terrenam potentiam, & terrenum thronum; Pontificatum vero Sacro Sanctum, & Sedem Sacrissimam Beati Petri. Ergo *quid abducemus testibus?* Matth. 36. v. 65. *ecce nunc audistis!* hic dixit v. 61. Nicænum citatum contrarium dicit; constat id ex Can. sexto ejusdem relato a Chalcedonensi act. 6. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Ideoque Nicolaus. I. ad Michaelem Imperatorem scribit: *Privilegia huic Sanctæ Ecclesia a Christo sunt donata, a Synodis non donata, sed celebrata, & honorata.*

Ad. 4. dico: injuria non jure legitimo hoc jus ab aliquibus usurpatum fuit, ex quo consequentia legitima minime trahi potest ad jus legitimum. Nam a Christo usque ad Constantimum Magnum per trecentos, & ultra annos; & a Constantino usque ad Justinianum seniorem per alios ducentos electio Romani Pontificis semper fuit facta absque ulla dependencia

tia ab Imperatore, Justinianus primus fuit, qui non jure, sed vi sibi id
 arrogare cœpit, velut Henricus VIII. suum Primatum. Nam cum au-
 thoritate Vigilii Papæ de manibus Gothorum Italia recuperata esset Nar-
 fetis apera; Justinianus timens, ne Pontificum potentia, & in dustria,
 ipso ab Italia absente, urbs, & Italia deficeret ab Imperio CP. statuit ita-
 que: ne ullus electus Pontifex agnosceretur, nisi accederet approbatio Im-
 perialis; & defacto proscriptis Silverium falsis ductus informationibus,
 quod Romanum Gothis prodere voluisse. Hanc vero in justam usurpationem
 simoniacam hæresim appellat Gregorius in Ps. 5. pænitent: quia vi in-
 justa ex avaritia pecunia expetebatur, & pretium coacte dabatur ad redi-
 mendam vexam, ad præcavenda majora mala Schismatum, quæ merito
 timenda erant, nisi Papæ his violentiis sponte pro tempore cessissent Hæc
 porro usurpatio duravit usque ad Constantinum. IV. qui Benedicto. II.
 usurpatum jus ab aliquibus suis prædecessoribus remisit. Quantum vero
 illud Caroli Magni est: id ab eruditis negatur Adrianum nempe un-
 quam concessisse privilegium eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem
 Apostolicam. Id potius Sigeberti inventum creditur, qui ad Henrici
 Schismatici partes transiens, vendicantis sibi investituras, ei adulandi gra-
 tia finxit, consimile concessum ab Adriano fuisse Carolo Magno. Gratia-
 nus ex falsis historiis, velut alia plura; id sumpsisse videtur cap. Adria-
 nus. II. & cap. in synodo dist. 63. Quod ex eo manifeste apparet, quod
 auctores, qui diligentissime res Caroli scripserunt, nullum verbum de re-
 tanti momenti habeant, imo contrarium docent. Dicunt enim capto Ti-
 cino, non Romanum, sed statim in Galliam advolasse pro comprimentis
 rebellibus Saxonibus. Gratianus vero vult Romanum se contulisse, & ibi ce-
 lebratum fuisse ab Adriano Concilium. Secundo: in eo decreto Gratia-
 ni, mentio sit investituræ, nomen inauditum temporibus Caroli est; nec
 unquam sibi Carolus arrogavit Episcoporum electiones, sed liberas decre-
 vit esse faciendas secundum canones lib. I. cap. 84. Sed quidquid sit de
 hoc, concederit Sedes Apostolica privilegium Carolo Magno, cui renun-
 tiavit Ludovicus ejus filius cap. *cum ego Ludovicus* dist. 63. Concederit
 Othoni (cui renuntiavit can. *constitutio* eadem distinctione) propter eo-
 rum præclara merita pro bono Ecclesie facta, ut confirmentur in zelo
 comprimenti hæriticos vexantes Sanctam Sedem, & reprimeretur temeri-
 tas Comitum Romanæ ditionis, turbantium electionem summi Pastoris,
 nunquid Imperator erit superior Pontifice, ex cuius gratia, & privilegio
 id consecutus est? quæ tamen dare, & concedere non inferioris, sed uni-

ce superioris est. Dedit Alexander. III. Cardinalibus jus electivum, at nunquid electus Pontifex minor est Cardinalibus? ac denique: confirmatio Imperialis vi usurpata nulli patrocinatur, & nulli jus legitimum facit; ex privilegio vero concessa Pontificis, favet Pontifici, cum privilegia concedere non sit, nisi Superioris.

Ad. V. dico: Aliquos Imperatores Conciliis præsedisse non authoritative, & ut fidei judices, sed duntaxat solo sessionis honore, quem ipsi Concilia detulerunt, tanquam Ecclesiæ Protectoribus, & decretorum decisorum in Conciliis executoribus; sic enim Patres Concilii Chalcedonensis in sua ad S. Leonem loquuntur Epistola: *quibus (Synodi id est Episcopis) tu quidem sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem. Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime presidebant, sicut Zorobabel Ecclesiæ.* - - Ex quo clare agnoscitur præsidium Imperatoris qualenam fuerit. Constantinus siquidem sexto Concilio non præsedit ut judex, sed huic præsederunt Legati Agathonis; nam primi ante omnes nominantur, primi subscribunt ante omnes Episcopos, Imperator vero post omnes Episcopos, ut consentiens eorum definitioni, non vero ut definiens; siquidem Episcopi sub hoc tenore subscripterunt: *N. Episcopus - - definiens subscripti.* - - - Imperator vero: *Constantinus in Christo Deo Rex, atque Imperator Romanorum legimus, & consensimus.* - - Ex quibus clare patet, quale præsidium in Conciliis plentissimi Imperatores habuerint; ex quibus minime certe inferri potest supremos fuisse Conciliorum Prætides, siquidem in eis potestas definitava, ab eis exercita non fuit, utpote eisdem jure Divino non competens, sed sola executiva: Unde dummodo Ecclesia Anglicana veræ Christi Ecclesiæ se unire voluerit, libenter & illa humanitatis gratia Regi, si Concilio interesse contigerit, ei more Imperatoribus facto præsidium tale in Concilio (consistens in dignioris loci occupatione) præsentabit, dummodo se'executorem strenuum decretorum Ecclesiæ contra rebelles ab ea voluntarie secedentes appromittat; & sic manebit ut petit Primas Ecclesiæ in defendendo eam, non vero in gubernando more nominatorum Imperatorum.

Ad. VI. domo petitus sua dico: quod licet juribus, non vero exemplis sit ferendum de veritate judicium, & ratio exemplis sit anteponenda S. P. Augustino teste lib. I. de civit. cap. 23. tamen, quia exempla magis vulgares ad sequendum trahunt, præmittere placet: quodsi Jacobo ex quatuor Regum exemplis tutam suam licet esse causam, nobis ex pluribus licebit concludere nostram omnino esse certissimam. Nec dicere juvabit:

eos

eos impotentes ad resistendum fuisse; cum enim validos comparaverint exercitus contra exterros Reges, poterant & contra Papam non assuetum stare armis, solis spiritualibus armis armatum. Suos vero Prædecessores ob hoc vocare cœcos, & ignorantes, nihil aliud est afferere, quam sibi soli affulisse fidei lumen novissimis temporibus, novosque Puritanos electos esse Prophetas, & Apostolos Evangelii, quod latuit pauperculos illos fideles ab Augustino baptizatos, qui tanto studio fidem Catholicam propagare insudarunt. Objicit quidem trium, vel quatuor forte errantium facta Apologista, sed illos errantes, cum unitate Ecclesiæ Romanæ, quam Caput agnoscabant conjunctos opponimus ipsi, qui omni modo eam dissolvit, & lacerat. Sed directe ad argumentum respondetur ex Rogerio de Henden pag. 1. annal. in Henrico. Ursupavit quidem investituram Ecclesiærum Henricus, sed obstat forti pectore Cantuariensis Præsul Anselmus, recusatque communicare cum electis a Rege. Gerardus Eboracensis mandato Regis obediens accedit ordinare Giffordum, & Rogerium, sed Willielmus Gifford contemnit Eboracensis unctionem, unde exilium patitur, aliis inconsacratis remanentibus. Sed resipuit Rex, statuitque in synodo Londoniensis, ut ex tunc nullus in Anglia per Regem aut laicam manum investiretur, & ipse Gifford, & alii fuerunt ab Anselmo consecrati. Radulphus Rege annuente communi suffragio electus est; Radulpho ab Apostolica Sede pallium attulit Anselmus Legatus, nepos Anselmi Archi-Episcopi. Romam ante hæc misit Rex, ut investituræ concederentur, cui Pontifex concessit ab electis homagia excipere, non autem investire per baculum, & annulum. Ita Willelm. Malpes 6. lib. 1. de gestis Anglo-rum Pontificum. Concilium ad quod Episcopos misit Calistus indixerat, in quo quarumlibet Ecclesiasticarum possessionum investitura fuit prohibita, per manum laicalem facienda. Laicus quicunque deinceps investiens anathemate ligatur; investitus gradu accepto privatur. Ex Rogerio cit. pag. 1. Pergente Turstano ad Concilium prævenit Rex Papam, legato suo rogans: ne ipsum consecraret, vel non ab alio consecrari curaret, quam a Cantuariensi. Sed cum Calistus ut nulli injuriam ficeret, consecrasset nihilominus Turstanum, Henricus commotus ejecit e suo dominatu Turstanum consecratum. Charitative a Papa admonitus, ut exulem reduceret, recusavit. Tunc ei præcepit, ut absque mora eum restitueret; & cum defferret Rex respondere, subjecit interdicto Cantuariensem, & Eboracensem Ecclesiæ, permittens solum parvulorum Baptisma, nisi a mense acceptarum litterarum absque ulla vexatione suam reciperet Ecclesiam Turstanus; &



Pontifex Rege obediente libertate donavit Eboracensem. Hic clare vide-
mus Regem Papæ obediens, non vero e contra. Quod vero legem Ed-
vardi. III. attinet, eam esse quidem injuste usurpationis, quæ tamen a
Primatu non excludit Romanum Pontificem, cum per appellationem ad
eum causas deferendas esse agnoscat; a minori utique ad majus tribunal
non nisi datur appellatio. Huic ausui se opposuit Gregorius. XI. egitque
cum Edvardo de legis hujusc abrogatione. Sed orto Schismate trium
Pontificum nullus fuit Papa, qui infisteret, donec Martinus. V. de hoc
negatio Henrico. IV. efficacius dedit litteras. Cæterum Edvardus. III.
plurimi fecit dignitatem Pontificiam; nam cum Bavarus Imperator Ludo-
vicus ipsum Vicarium Imperii elegisset, honorem hunc recusavit, ne dis-
pliceret Benedicto. XII. qui cum Bavaro non bene conveniebat. Cum
fædus statuisset cum Galliæ Rege jurejurando sanctum, voluit auctoritate
Pontificia illud confirmari. In concilio Londonensi se juramento obligavit
Sacerdotibus, se curaturum concessionem Romani Pontificis, ut ipsis libe-
rum esset habere, quos vellent Episcopos, & Præfectos. Videat igitur
Apologista Serenissimus, num ex his, quæ adducit exemplis satis, ut se
opinari dicit, appareat, ipsum omni calumnia liberatum; optandum sane
esset, ut tandem pro exemplo eos sumere, & imitari vellet, & sic verum erit:
*Quod suorum antecessorum vestigia premens novandarum rerum studio cum
quidquam esse molitus.*

Argumentum Contra. IV. Resolutionis partem ex consensu doctorum
hominum petitum.

Chrysostomus hom. 23. hæc habet: *Ostendens, quod ista imperentur
omnibus, & Sacerdotibus, & monachis; non solum secularibus, id quod
statim in ipso exordio declarat, cum dicit: omnis anima potestatisibus su-
pereminentibus subditas sit; etiam si Apostolus sit, si Evangelista, si Pro-
pheta, sive quisque tandem fuerit. - - - En ab eo clare subjectum or-
dinem Sacerdotalem supremæ potestati laicali. Apud Theodoreum lib. 4.
c. 7. legitur ex Valentiniiano Imperat. in epist. ad Episcopos Asiae:
*probos Episcopos non solum Deo, sed etiam Regum legibus obtempera-
re. - - - Hinc Symmachus in Apologet. ad Anastasium Imp. Tom. I.
Epist. decret. parte. 3. in hæc prorumpit verba: tuas quidem potestates
humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigant volun-
tates. B. Longe diversum esse: Principes ferre leges Ecclesiasticas, &
Religionis judicia exercere, & Ecclesiasticos subjici legibus civilibus ad bo-
num**

num publicum pertinentibus. Jus Principum est constituere terminos in his, quæ pertinent ad convictum universalem Reipublicæ, ut: statuere pretia rerum, firmare conditiones contractum, & similia. Conscientia postmodum, & æquitas naturalis, quoslibet obligat ad æquitatem, & justitiam, & ideo Ecclesiastici illis subjiciuntur, non quia a Principibus sacerdotalibus habentibus superioritatem in Clerum sunt, sed quia lex Dei, & naturalis præcipit servandam esse justitiam. Et in hoc sensu loquitur Valentianus, & Chrysostomus afferens, quemlibet suo superiori obedire teneri, sed in sensu distributionis accommodæ, id est: in eo genere, in quo cui subjicitur; locus etenim ejus ferit Libertinorum hæresim, qui ex quo Christiani essent, nullis subjici se Principibus asserebant. Dictum Symmachi eo ipso, quod humanas vocat Imperatoris potestates, significat eum non habere spiritualem jurisdictionem. Humanis porro potestatis, quæ æquitatem statuunt pro bono communi præstat obedire modo dicto, hoc enim indicant dicta Symmachi: *suo loco suscipimus* id est: in suo ordine, & sphæra, non vero extra eam.

Argumentum Contra. V. Resolutionis partem ex jure Præscriptionis petitum. Rex Angliæ juste possidet ea, quæ sui antecessores jure præscriptionis possidere inchoarunt, ergo etiam juste possidebit Primum Ecclesiasticum Anglicanæ Ecclesiaræ, quem sui antecessores possidere inchoarunt. R. c. a. intellectum de possessione rerum temporalium, cum quibus cum possessio rerum spiritualium nullam connexionem inseparabilem habeat, dictum jus præscriptionis Regum ex hoc Capite non ingreditur; & n. c. quæ si teneret, concluderet etiam: furto ablata a scientibus non esse sua, aut per rapinam injustam alienata posse præscribi; cum tamen jus humanum clare contra clamet: possessor malæ fidei nunquam præscribit tit. de Præscript. cum ergo Princeps mere politicus nunquam titulo justo, utpote contra omnes leges, tam Divinas, quam humanas, præscriptionem inchoare potuerit, nunquam etiam successores ejus, tametsi mille id annis usurpent, justo titulo possessionem juris spiritualis sibi vendicare poterunt, ni paritatem cum fure, & rapina æqualiter trahere velint; cum ab inchoatione hujus possessionis (ut abunde dictum est) omne enumera-tum jus eos repellat. Manet igitur ex his Primatus prætensus Anglicanæ Ecclesiaræ, ob violatum interdictum legum tam Divinarum, quam humana-rum totus quantus irregularis.

Quæ-

QUÆSTIO INCIDENTALIS.

Quodnam sit officium Regis circa Ecclesiam.

OStensum abunde est: Reges, & Principes sæculares non habere Primum, seu jurisdictionem exteriorem in Ecclesia, ac proinde sua auctoritate non posse Ecclesiam regere, Synodos convocare, controversias fidei decidere, Ecclesiæ ministros creare, vel deponere, contumaces excommunicare; sed hæc omnia ad Episcopos, & Ecclesiæ Prælatos Divino, & humano iure pertinere; restat igitur quærendum: an ergo in regimine Ecclesiastico Regibus nihil reliquum superfit? ac plane ab hac cura exclusi, & immunes sint? paucis eam absolvam quæstionem dando Cæsari, quæ Cæsarî sunt, Deo, quæ Dei.

Ante decisionem statuendum. I. contra Politicos: Reges, & Principes Christianos non ita debere provincias administrare suas, ut omnem Religionis, & Ecclesiæ curam objiciant, tanquam nihil ad se pertinens, usurpando illud Donatistarum: *quid Imperatoricum Ecclesia?* quod reprehendit tantopere S. P. Augustinus lib. 2. contra litteras Pirilianæ cap. 92. Id etenim, & Sacris litteris, & bonorum Regum exemplis & rationi ipsi contrarium est. Laudantur siquidem in facris litteris: David, Ezechias, Josaphat, Afa, & Josias, quod cultum, & Religionem Dei, aut promoverint, aut restauraverint. Quorum exemplum in novo testamento imitati sunt: Constantinus Magnus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludovicus, & alii. Contra vero non solum reprehensi, sed & puniti sunt, qui Religionem, & fidem contempserunt, ut: Jeroboam, Achab, Achaz, Amon, Julianus Apostata, & alii.

Ratio vero hujus est: quia Reges, qui in sublimi potestate sunt positi, & possunt, & debent Dei cultum promovere; nam sicuti ipsi ab inferioribus honorem exigunt, sic Deum ipsum, a quo potestatem consecuti sunt, & cui jure naturæ subjiciuntur, merito ipsum non tantum debent honorare, sed ejus insuper gloriam, ac majestatem ubique propagare cum possint, tenetur.

Statuendum. II. Reges, ac Principes Christianos, nullo modo in suis Provinciis debere admittere liberum exercitium Religionis, ut quisque quidlibet pro suo genio credere valeat, si illud impedire possint. Hæc etsim libertas plene illicita, & Christianæ doctrinæ prorsus contraria est. Nam Christus sæpe in Evangelio unam fidem mandavit, dum unam so-

lum Ecclesiam, unum ovile, unum Pastorem, unum baptisma esse voluit; quæ sine unitate fidei consistere non possunt. Secundo voluit discipulos attendere a falsis Prophetis, ubi in Religione sua voluit discriminem esse inter veros, & falsos Prophetas; ac denique Ecclesiam suam perpetuam esse voluit, adversus quam nec portæ inferi essent prævalitrix, quod fieri non potest, nisi in eo Regno omnium sit fides una, ut Lucas testatur. 11. v. 17. *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur;* & confirmat Apostolus 1. Corinth. 14. v. 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis:* Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Quibus præsuppositis:

Dico: munus Principum sacerdotalium esse Ecclesiam tueri, & defendere, non ut Judicum, sed ut executorum, non ut Rectorum, sed ut ministrorum ad hoc destinatorum. Id etenim fecerunt olim Principes Christiani, verbo & exemplo. Carolus Magnus, ut alios omittam, apud Sigonium l. 4. de Regno Italix sic loquitur: *Si Ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellentie culmen proficere credimus.* Si inquit obsequimur Ecclesiarum Dei servis; unde is non affectat Primatum, qui obsequi se Dei servis offert.

Idem Imperator id facto contestatus est, cum a Leone Papa coronam Imperii accepit, hac formula jurisjurandi usus: *In nomine Christi spondeo, atque polliceor, ego N. Imperator coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem, atque defensorem fore hujus Sancte Romane Ecclesie in omnibus, quatenus Divino fultus fuero adjutorio, prout sciero, potueroque.* - - Uti refert Sigonius loco citato.

Idem exemplum secuti sunt Reges: Franciæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ, una atque Boemiarum, imo olim Angliae simili juramento se obstringentes, se videlicet Ecclesiam defensuros, ac Religionem, ejusdemque Prælatis debitam reverentiam, & subjectionem præstituros. Id namque minime derogat ipsorum Majestati, imo perquam honorificum est piissimum antecessorum sequi vestigia; unde Ambrosius Epist. 32. ad Valentianum juniores ait: *quid est honorificentius, quam ut Imperator dicatur filius Ecclesia?* *Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* - - Et Theodosius Italiæ Rex ad Joannem Pontificem: *sum quidem Iudex Palatinus, sed uester non desinam esse discipulus.* Nam tunc ista recte gerimus, si a uestris regulis minime discedamus. - -

Non

Non est necesse, ut opinor in hocce genere progredi ulterius, constabit siquidem ex hoc satis pro gratis, quam curam circa Religionem, & Ecclesiæ defensionem habere debeant Reges, & Principes sæculares; & exempla hactenus non desunt piissimorum Regum in diem hodiernum: Franciæ, Hispaniæ, Poloniæ, Boemiæ, Germaniæ, Italiae, quæ abunde sufficiunt pro exemplo, ut & Anglia non eorum solummodo, sed & antecesorum sequatur vestigia, idem absque tergiversatione facientium. Unde & quiorem me causam in hoc tueri existimo, quam partis contrariae defensores, quoniam unice in hoc gloriam Dei, utilitatemque Ecclesiæ specto, non vero velut illi, alicujus gratiam, & favorem exquirō; hinc veritatis unicæ, non vero adulandi pugno methodo. Qua absoluta sequitur in specie id, de quo inquiritur unice; Caput videlicet legitimum Ecclesiæ Christianæ a Christo constitutum, quod rursus per omnia jura dilucidans manifestabit:

SECTIO II.

EX antecedentibus sequitur unum determinatum Caput Ecclesiæ a Christo institutæ fideles visibiliter regens, admitti debere, cum id unitas fidei, conservatio ejusdem perpetua prorsus exigat, & Christi exemplum, una ac institutio clare doceat. Dictum Caput Ecclesiæ eam in spiritualibus gubernans Principem mere politicum non esse Sectio. I. ex omni jure tam Divino, quam humano demonstravit deducta. Cum porro Christi Ecclesia sit perfectiva, & completiva Synagogæ, tanquam figuratum figuræ, & veritas umbræ; resolvendum superest, num ad instar Synagogæ ab uno supremo Sacerdote eam regi oporteat, qui ex institutione Christi fundatoris legis gratiæ eam, fidelesque subjectos in unitate fidei a Christo revelatae manuteneat, ex ipsius Christi exemplo, & institutione. Porro antequam decidatur, quodnam illud Caput Ecclesiæ sit, dilucidanda quædam præmittet.

§. I.

Not. I. Hæretici, ut suos firmius stabilire in cordibus a se seductorum valeant errores, toto nisu contendunt, evertere Petri Primatum, successorumque ejus Romanorum Pontificum; sive Ecclesiam vagam absque Pastore, confusam absque Duce, velut apud ipsos est, volunt esse universam; ut libertatem credendi quolibet relinquant cuilibet, & ultima credendi ratio ipsorum in rem delicata (uti est fidei materia) ab ipsis conficta locum habeat in rebellibus animis, nempe: stat pro ratione voluntas; ita enim sentit

tit Lutherus de potestate Papæ; Calvinus. I. 4. inst. c. 6. Smalkaldica Syndodus; & Novatores more suo ad unum omnes. Verumtamen, quia fidē ex auditū, auditus autem per verba Christi est, hæc itaque videnda erunt, quid circa hoc dicant, Christique judicium, una ac institutio in hoc est requirenda, si Christi Ecclesiam ab ipso fundatam, & institutam agnoscere velimus; quoniam id non a cujusvis sentiendi libertate, sed a sola Christi voluntate, & institutione pendet; ejus proinde in præsenti controversia judicium nobis remanet petendum.

N. II. Quod admissō, uti vere prudenter admitti debet, Ecclesiam Christi eandem substantialiter esse nunc, ac fuit tempore Christi, & Apostolorum, necessario admitti debere idem nunc quoque externum regimen Ecclesiæ esse, ac fuit tempore Christi, & Apostolorum; id etenim non tantum ex antecedentibus sufficienter sequitur, sed insuper ipsa ratio in aperto ponit; siquidem variato regiminis modo, Rempublicam quamlibet substantialiter variari est necesse, cum forma gubernii varietur, quæ substantialiter mutat totam Rempublicam seu Ecclesiasticam, seu politicam, velut de se patet.

N. III. Talem admitti debere formam regiminis in Ecclesia nunc, qualēm Christus in Ecclesia sua instituit, & qualis tempore Apostolorum usitata fuit ex ipsa Christi institutione; si enim Christus unum Gubernatorem instituit Ecclesiæ suæ, & tempore Apostolorum ita Ecclesia post Christi Ascensionem gubernata fuit, sequitur: eandem nunc gubernandi formam in Ecclesia servari debere, ex vi ipsius Christi tam exemplo, quam institutione; cum Christus ipsam Ecclesiam manere voluerit usque ad consummationem sæculi, debuit ergo, & ipsam formam gubernandi manere velle usque ad consummationem sæculi; secus enim debuisset nolle eandem substantialiter Ecclesiam manere post se.

N. IV. Petrum a Christo Pastorem universalis Ecclesiæ constitutum fuisse, universa antiqua tenebat Ecclesia; eum insuper Romæ ultimate suum Episcopatum, una ac domicilium fixisse, inibique Martyrio coronatum fuisse antiqui Patres, & Petri ætati viciniores omnes testati sunt ad unum; id etenim universalis docebat traditio, per Apostolorum discipulos, una ac Petri, successoribus relicta, & ad nostra usque tempora protracta; ut nullum hactenus adversarii fundamentum adferre potuerint, quod traditionem hanc evertere potuisset. Nam inibi Petrus primam scripsit suam Epistolam, ut ipse c. 5. v. 13. indicat: *salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, & Marcus filius meus*; ubi per metaphoram vocat Romanum

Babylonem; quod sicut illa olim orbis existit debellatrix prope universi, ita nunc Roma; ita enim sentit Hieronymus de script. Ecclesiasticis in Marco. Eusebius l. 2. hist. Ecclesiast. c. 14. & S. P. Augustinus l. 18. de Civitate Dei c. 22. Evangelista quoque Joannes in Apocal. c. 7. v. 5. Romanum appellat Babylonem magnam, ut legere est apud Tertul. aduersus judæos c. 9. Id insuper omnes tenent Patres antiqui, temporibus Petri viciniores, non minus pietate, quam doctrina celeberrimi; quibus proinde in hoc major fides adhibenda est, quam novissime natis a fide recentibus duris cervicibus. Quod insuper ratio ex textu citato desumpta suadet: Nam Babylonis nomine illa civitas debet intelligi, in qua erat coelesta Ecclesia, de qua S. Petrus scripsit, hæc autem coelesta non erat in Babylone Assyriorum, ex qua omnes ad unum Caius Augustus expulerat judæos, ut refert Josephus l. 18. antiquit. c. 12. nec in Babylone Ægyptiorum, hæc quippe ignota pene, & sine nomine fuit usque ad quintum circiter seculum, quo primo reperitur apud Sophronium Zosimus Cilix Episcopus Babylonis in Ægypto; cum insuper nullus scriptor antiquus, nulla traditio, aut fundamentum hactenus adductum fuerit, Petrum aut in una, aut altera Babylone unquam fuisse a parte contradicente, præter contradicendi licentiosam, & inanem voluntatem; manet ergo Petrum Romæ fuisse, inibique Ecclesiam fundasse, rexisse, & suam Sudem usque ad mortem stabilivisse.

N. V. Cum Christus Dominus Ecclesiæ fundator, eam usque ad finem mundi perpetuam esse voluerit, velut ipse testatus est: *ego vobis sum, usque ad consummationem seculi;* sequitur et formiam regiminis eandem quam Christus instituit manere debere perpetuo; unde si persona a Christo constituta usque ad consummationem seculi, una, eademque non mansit, necessum est successores aliquos haberi debere in regenda Ecclesia, qui ad exemplum Christi, & more a Christo constituti sui loco Pastoris universam externo gubernio regat, & gubernet Ecclesiam, ne portæ inferi prævalere possint adversus eam.

N. VI. Quod ejus successores statui debeat in regenda Ecclesia universa, qui succedunt in jus, munus, & officium ejus, qui a Christo Ecclesiæ Pastor est constitutus; unde si Petrum a Christo Pastorem, & Caput visibile Ecclesiæ præpositum loco Christi evicerimus, evictum, & erit ejus successores in officio, successores una fore in munere gubernandæ universalis Ecclesiæ; quoniam successor in officio succedit in plenum jus sui antecessoris. Et cum Petrus usque ad mortem Romæ universam rexerit Ec-

clesiam, inibi ultimate perpetuum figens domicilium, velut omnes Patres antiqui, & recentiores (paucis a fide aberrantibus rebellibus exceptis) tradunt, sequitur successores Petri in Romana Cathedra, una esse successores in munere supremo regendi Ecclesiam universam; si id munus Petro a Christo concessum demonstratum fuerit, id porro demonstrare sataget.


§. II.

Resolutio Prima.

Dignitas Capitis Ecclesiae eam externe gubernantis in solo Petro a Christo est constituta, ac per consequens: solus Petrus fuit a Christo constitutus supremum Caput Ecclesiae eam visibiliter loco Christi gubernans.

Argumentum I. Soli Petro potestas a Christo gubernativa Ecclesiae est promissa, ergo solus Petrus fuit a Christo constitutus supremum Caput Ecclesiae eam visibiliter gubernans. c. patet. quia ille solus est Caput, & Gubernator alicujus Reipublicæ, qui solus potestatem gubernativam ab habente auctoritatem conferendi obtinet. a. p. illi est promissa potestas gubernativa Ecclesiae, qui solus confessus est Christum Filium Dei vivi, & cui soli Pater Cœlestis id revelavit; atqui solus Petrus confessus est Christum. Filium Dei vivi, soli Petro id Pater Cœlestis revelavit, ut ipse testatur Christus; ergo soli Petro potestas gubernativa Ecclesiae est promissa. M. patet. quia ad hanc confessionem ex revelatione Patris Cœlestis factam Christus promittit potestatem dicendo: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* m. & c. præterquam quod jam in quæstione præliminari sit sufficierenter monstrata,clare in super traditur Matth. 16. ubi interrogatis discipulis, quis esset Filius hominis. v. 16. Respondens Simon Petrus dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi* Respondens autem Jesus dixit ei: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quocunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quocunque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis.

Hic Christus manifeste solum Petrum alloquitur, sed alloquitur eum promittendo ei gubernandi potestatem per verba: *tibi dabo claves Regni*



Cœlorum, ergo soli Petro promissa est a Christo gubernativa potestas Ecclesiæ. M. præterquam quod clara sit, contra quam nil opponi potest, præter violentas textus detorsiones malevolorum tenebras in meridie quarentium; insuper clariss ad oculum declaratur: Nam in eo tuxtu multisarie ex-primitur persona Petri. I. duplice nomine: Simonis, quod erat nomen primævum; & Petri, seu Petræ, quod erat ex Christi impositione. II. per nomen Patris, qui erat Johanna, & per Crasim dicebatur Jona. III. Laudatione confessionis editæ de Christi Divinitate. IV. Repetitione illius pronominis: *Tibi: Revelavit tibi; dico tibi; dabo tibi,* V. causali addita: *quia tu es Petrus.* VI. Remuneratoria responfione ob confessionem fidei; *Et ego dico tibi.* VII. Ex particula conjunctiva analogia Petri, & Petræ: *tu es Petrus, & super hanc Petram.* m. declaratur: Christus promittit soli Petro: super eum ædificaturum Ecclesiam suam, ei soli promittit claves Regni Cœlorum, atqui fundamentum rationem basis sustentatis habet, claves Regni Cœlorum significant potestatem, ergo Christus alloquendo Petrum promittit ei gubernandi potestatem. M. patet. siquidem cum solum alloquitur, qui solus confessus est Christi Divinitatem, cum ob hanc unice confessionem Christus id dicat in contextu. m. p. I. id præstat fundamentum in Ecclesia Christi, quod præstat fundamentum in ædificio, ergo sicut fundamentum physicum est basis totius ædificii, absque quo totum ruit ædificium, ita fundamentum mysticum est basis post Christum totius ædificii a Christo constitutum, ne ruat totum Christi ædificium. Sicut ergo, quia Christus dicitur hujus ædificii fundamentum, nemo est, qui ipsum ut Caput non revereat, ita ex quo Christus ejusdem fundamentum Petrum nuncupavit, palam fit Petrum tanquam Caput disignasse. m. p. II. Per clavum collationem in scripturis potestas, & dominium significatur; nam Isaïæ. 22. v. 22. ubi describitur Eliacim filii Helciz inaugratio in summum Pontificatum, sic habetur: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat;* ubi pro clave plane intelligit Propheta potestatem dominativam, siquidem antecedenter describens depositionem alterius Pontificis, in cuius locum subrogatur Eliacim præmitit. v. 21. *Et cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus ejus.* Item Apocal. 3. ad explicandum Christi imperium habetur v. 7. *Hec dicit Sanctus, & Verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Item Apocal. I. v. 18. *babeo cla-*

claves mortis, & inferi. Ergo cum dicta Petro: *tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris &c.* his omnino, quæ apud Ilaiam figurate in persona Eliacim, & in Apocalypsi litteraliter de Christo dicta leguntur, consona sint; compertum est utrobique per claves potestatem denominativam significari.

Imo siue Sacram, siue profanam adeamus eruditionem, utrobique in traditione clavium potestas, & superioritas designatur; nam traditione clavium civitatis Principi, ejusdem dominium tradi significatur; traditione clavium domus æconomio, potestas æconomica domus traditur. Hinc verbum: dabo, translationem dominii in jure importat, ut constat ex *I. Traditio ff. de re donata. I. duo ff. de Precario, I. Tertio ff. de possessione.*

Respondet Lutherus de potestate Papæ; Calvinus I. 4. instit. cap. 6. n. 4. & alii: Laudatis verbis Christum non Petrum solum, sed una Apostolorum omnes allocutum fuisse.

Verum id, præterquam quod fuse in præliminari quæstione refutatum sit, potest insuper effugium hoc his enervari documentis. I. tam claræ sunt circumstantiæ textus, ut nullibi clariiores, & expressiores terminos adinvenire possent hærcitici ad particularem personam designandam, nam Christus locutus est Filio Joannis, sed nulli ex Apostolis præter Petrum convenit esse filium Joannis, ergo nulli iocutus est hæc verba nisi soli Petro. II. Ei soli Christus est locutus, cui Paulo post dixit. *vade post me satanas,* sed hoc non dixit cæteris Apostolis, sed determinate soli Petro, ergo & prius. III. Christus dixit Petro: *super hanc Petram edificabo,* quia Petrus dixit: *tu es Christus filius Dei vivi,* discernens eum ab aliis Prophetis; ergo Christus ut vicem rependat, ita dicit Petro: *super hanc Petram,* ut cum ab aliis discriminaret Apostolis. Ex Evangelio namque promissio, & confessio sunt correlativa.

Respondet Calvinus I. 4. initit. c. 6. n. 6. *confessus erat Petrus - - Christum esse filium Dei, super hanc Petram edificat suam Ecclesiam Christus,* quia unicum est, ut ait Paulus: *fundamentum præter quod statui aliud non potest - - -*

Sed vere ineptum figmentum, & prorsus voluntaria interpretatio textus citati est, quæ sic manifeste refutatur. I. Ideo juxta Calvinum dñm Christus ait: *super hanc Petram,* appellavit supra se ipsum, velut eum Paulus nominat: *Petra autem erat Christus* I, ad Corinth. 10, v. 4. quia

appellat super eum, quem Petrus est confessus, sed Petrus non est confessus Christum Petram, sed Filium Dei vivi, ergo Christus non appellavit super se ipsum, sed super hunc, qui confessus est Christum esse Filium Dei vivi. II. Pronomen **hanc**, utpote demonstrativum, super hanc appellat Petram, de qua proxime, & de præsenti facta est mentio; sed non est facta mentio alterius Petri, quam Petri, ut in aperto est, ergo. III. Hæc causalis debet verificari: *quia tu es Petrus, & super hanc Petram;* sed non verificatur si de Christo dicatur pronomen: **hanc**; nam quæso, quænam hæc consequentia; *quia tu es Petrus, & super me qui sum Petra, ædificabo Ecclesiam meam?* nulla sane; posuit ergo causalem illam, *quia tu es Petrus,* eo quod Petrum voluit constituere Ecclesiæ Caput. Veluti cum dixit Genesis. 17. v. 5. ad Abraham: *Tu appellaberis Abraham, quia Patrem multis gentium constitui te.* IV. Dum Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* Petri confessionem remunerari voluit, ut ait Hieronymus, sed si textus Christo accommodetur, nulla prorsus Petri remuneratio est, ut ad unum omnes fateatur oportet, ergo. V. Dum Christus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut Hieronymus sentit, innuit: *ædificationem Ecclesia in futuro promissam, non in præsenti datam* - Sed supra Christum Ecclesia jam erat ædificata: etenim teste Gregorio homil. 19. in Evang. *Ecclesia incipit ab Abel* - - Salvabantur namque justi per fidem venturi Mediatoris teste Anglico Doctore. 22. qu. 2. art. 7. ad. 3. & in lege gratiæ caput Ecclesia a Christi prædicatione, cum Christus tunc jam nominaverit Apostolos, sibique plures fecerit discipulos, Baptisma in Jordane fuerit institutum, atque ab Apostolis ministratum, ergo citata verba ad Petrum non ad Christum referri possunt.

Urgetur idipsum: Ideo his verbis Christus Petro soli nil speciale promisit, quia dicendo: *super hanc Petram* appellavit supra Petram fidei, velut Lutherani clarum torquere cupiunt textum; sed hoc sine fundamento arbitrarium dictum est, ergo manet soli Petro aliquid speciale promissum. In declaratur: vel enim pro fide sumunt Petri fidem determinate, vel sumunt fidem absolute; si primum, nihil est contra nos, cum & nos idipsum ultro fateamur, Petrum nempe ob meritum fidei in confessione Divinitatis, Ecclesiæ Præfectura donatum, ipsumque solum constitutum, ut in fide Christi alias confirmet, juxta illud Lucæ. 22. v. 23. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, con-*

fir-



firma fratres tuos. Si vero secundum intelligent, longe a vero aberrant, etenim tametsi fides sit forma Ecclesie, in qua fideles conveniunt in credendo, & fundamentum justificationis, non tamen est Caput. Et ideo Paulus ad Ephes. 4. dicit: unum corpus, una fides unum Baptisma; ergo sicut corpus non est fides, fides non est Baptisma, & vicissim, sic fides non est Caput Corporis mystici; unde si fides esset Caput Ecclesie, non dixisset Christus: *edificabo* in futuro, quia jam tunc, cum hoc Christus dixit, fides extabat in pluribus baptizatis, & prædicationem Christi audientibus, unde jam tunc temporis fides fuisset in Petra. II. Pronomen *hanc* illum demonstrat, cui dixit Christus: *tibi dabo claves Regni Cœlorum*: sed Christus claves non dedit fidei, sed Petro, cum hunc solum alloquatur, & eidem soli eas promittat dicendo: *tibi dabo claves*, velut ipsimet fatentur hæretici; ergo, ex hoc toto non videtur, quomodo nam subsistere possit Lutheranorum oppositio tam pertinaciter, sed impertinenter prorsus opposita.

I. Confirmatur id auctoritate Conciliorum. Secundum hæriticorum arbitrium: Catus Optimatum, id est: Episcoporum jus supremum habet in Ecclesia, atque adeo infallibilitatem; sed Catus Episcoporum juxta Nicæphorum sexcentorum, & tringa sex in Concilio Chalcedonensi act. 3. clare fatetur: Petrum esse Petram, supra quam adiuvavit Christus Ecclesiam his verbis: *Ter Beatissimo, & omni laude digno Petro Apostolo, qui est Petra, & crepido Ecclesia Catholice.* Concinuit, & catus Patrum Concilii Alexandrini: *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesia Columnæ, id est: Episcopi sunt confirmatae.* - - - Sic Athanasius ad Felicem nomine totius Synodi scribens; ergo.

II. Confirmatur id auctoritate Sanctorum Patrum, qui hæriticis minime saltem suspecti videntur. Juxta Calvinistas, & Lutheranos a seculo. V. vel. VI. Ecclesia, caput deficere, sed ante Sæculum V. tum universa Ecclesia tum Patres pietate, & Sanctitate celebres fatebantur: Petrum esse fundamentalem Ecclesie Petram, ergo ante omnem defectionem juxta illos Ecclesia id unanimiter fatebatur. M. est unicus Cupido Adversariorum, ab ipsis ultrotenus admissus. m. quod I. partem prob. Ante sæculum V. Ecclesia universa illud Ambrosii canebat: *Hoc ipsa Petra Ecclesia canente culpam diluit;* velut refert fidelis testis S. P. Augustinus lib. I. Retract. cap. 21. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus cantatur etiam ore mulorum in versibus Beatissimi Ambrosii,* ubi de gallo gallinaceo ait:

Hoc

Hoc ipsa Petra Ecclesiae canente culpam diluit. - - In Synodo Ephesina act. 3. Philippus Presbyter Sedis Apostolicæ Legatus , ait: Certum , & notum omnibus esse , quod Beatisissimus Petrus Praefat , & Caput Apostolorum , Columna fidei Catholicae Ecclesiae fundamentum , Regni claves accepit a Domino , & hujus successor Papa Celestinus misit nos - - ergo.

m. eadem quod. II. partem prob. auctoritate Patrum Latinorum. Tertullianus lib. de præscriptione hæreticorum cap. 21. hæc habet: *Latuitne aliquid Petrum adificande Ecclesia Petram dictum?* - - Cyprianus ad Quirinum de Baptismo hæreticorum: *Petrus quem primum Dominus elegit super quem adificavit Ecclesiam &c.* - - Ambrosius ser. 68. de natali Petri , & Pauli referens Claudiī sanationem habet: *Si Petrus Petra est, super quam adificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita& in homine membrorum fundamen-tum confirmet.* - - Hieronymus lib. 3. comment. in Matth. ad cap. 16. ait. Secundum metaphoram Petræ recte ei dicitur: *adificebo Ecclesiam meam super te.* Idem sentit S. P. Augustinus sermone. 15. de SS. & in Psal. contra partem Donati, & tract. 56. in Joan. & aliis, quam plurimi sæculorum eorum, in quibus juxta ipsorum hæreticorum placitum fides primæ-va mansit incorrupta; ne suspectos testes eisdem adducere incusemus; pro-ducimus eapropter eos, qui judicio eorum recte de fide senserunt, & iis temporibus vixerunt, quibus fides adhuc incorrupta permanxit; quod si igitur illi aliter de veritate Christi senserunt, quam Lutherus, & Calvinus, ipsius igitur Lutheri , & Calvini judicio , & testimonio contra sentien-tes condemnati manent, una cum suis coriphæis Lutherani , & Calvi-nistæ.

Nunc porro ad Patres Græcos eorundem sæculorum, in quibus invio-lata mansit fides (juxta arbitrium Lutheri , & Calvini) digrediamur. Origenes hom. 5. in Exod. ait: *Vide magno Ecclesiae fundamento, & Pe-træ solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicæ fidei, quare dubitas?* - - Cyrillus cap. 12. lib. 2. in Joan. Nec Simon jam nomen fore illi, sed Petrus prædictit, vocabulo ip-so commode significans, quod in eo tanquam in Petra, lapideque fir-missimo sua esset adificata Ecclesia. - - Basilius lib. 2. in Eunomium: statim ex hac voce Petra intelligimus Petrum Iosephum filium - - qui quo-niam fide præstabat Ecclesia commissam sibi adificationem suscepit. Chry-sostom.

sostomus hom. 2. ad Psal. 50. idem sentiens sic effatur: *Audi quod Christus dicat Petro, columnam inquam illi, & basi, ac propterea Petra appellato.* - - Idem sentiunt omnes alii Patres tam Latini, quam Græci; unde num ipsi potius in hoc fides habenda sit præ Luthero, & Calvino, judicent præfati contrarium sentientes, qui his sæculis fidem putam, & genuinam fuisse clare in suis scriptis successoribus relictis confessi sunt; idem verbotenus viventes suis æcclesis prædicantes. Ob quam tametsi inconsideratam ad stabiliendos errores suos, veram tamen, & genuinam confessionem eam fidem merentur saltem: fide, sed cui vide.

Argumentum. II. Quoniam ipse Christus testatus est Lucæ 21. v. 33. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* igitur quod Christus Petro Matth. 16. v. 16. promisit, id ipsum Christus ascensus ad Patrem, & visibili præsentia derelicturus Ecclesiam Petro quondam promissum contulit. a. si quis in dubium vertit, & ipsa Christi verba in dubium impie vertere est necesse. c. p. referendo totum contextum positum, & factam extraditionem Petro Ecclesiæ a Christo Joan. 21. positam v. 15. & seq. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his?* dicit ei: *etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* *Dicit ei: pasce agnos meos.* Dicit ei iterum: *Simon Joannis diligis me?* ait illi: *etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Dicit ei: *pasce agnos meos.* Dicit ei tertio: *Simon Joannis amas me?* contristatus est Petrus, *quia dixit ei tertio: amas me?* & dixit ei: *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* Dixit ei: *pasce oves meas.* Hæc porro non promissionem: sed realem continent rei traditionem, quod sic clare evincitur. Christus solummodo alloquitur Petrum personaliter, sed alloquendo Petrum ei universalem Præfecturam super omnes oves suas consignat, ergo Petro solummodo universalem Præfecturam consignat, & confert.

M. demonstratur. I. ex evidenti Evangelista testimonio: *Dicit Simoni Petro Jesus;* Simoni inquam Petro, ut non fieret cum altero Simone æquivocatio. II. Ter interrogatur, appellaturque ter *Simon Joannis*, quo nomine nullus alias nuncupabatur. III. Petrus discernitur ab aliis: *diligis me plus his?* quo loquendi modo alii excluduntur. IV. Ex contristatione: *contristatus est Petrus;* & cur contristatus? quia metuebat se decipi, cum dicebat: *amo te,* sicut se deceptum novit, cum ait: *& si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* V. Ex prædictione mortis: *amen amen di-*

co tibi: cum esses junior cingebas te &c. Hac etenim antecedenti connectuntur periodo, & super eandem personam appellant, ut contextus clare docet. VI. Ex tria interrogacione: diligis me? nam si S. P. Augustino credimus ser. 29. de verbis Domini: ideo ter interpellatur de dilectione, quia ter Christum negaverat in prætorio, sed Petrus solus personaliter ter negavit; ergo Petrum solum personaliter Christus alloquitur; sed ei, quem alloquitur dicit: *pasce agnos meas; pasce oves meas;* ergo soli Petro hæc dixit.

m. pr. quoad. I. partem: nempe, quod Christus alloquendo Petrum ei præfecturam, & dignitatem contulerit. Christus per verba: *pasce oves meas,* Pastorem ovium suarum ascensurus in Cœlum post se, & sui loco Petrum nominavit; sed Pastor ovium est Præfector, & Superior earum; ergo Christus alloquendo Petrum nominat eum Præfector, & Superiorum ovium suarum. M. est in citato textu clare posita, quam insuper totus descursus Christi cum Petro in contextu positus clamat in aperto. m. p. I. Christus de se ipso ait: Joan. 10. v. 14. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas;* sed Christus est Pastor, Præfector, & Superior ovium; ergo Pastor ovium est Præfector, & Superior earum. II. Pascere gregem significat dignitatem, ergo significat superioritatem. a. p. Petrus epist. 1. c. 5. v. 2. Consenioribus, id est Episcopis præcipit: *pascite, qui in nobis est, gregem;* sed Episcopi sunt superiores grege, ut ipsimet hæretici fatentur, ex hoc inferre tentantes Petri æqualitatem cum aliis Episcopis, ergo pascere gregem significat dignitatem. III. Ezech. 34. v. 23. expresse id habetur: *& suscitabo super eas* (cum ante v. 15. dixisset: *Ego pascam oves meas*) Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: *ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem:* Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum; ergo si David Pastor gregis, est Princeps, pascere gregem Domini significat dignitatem, & auctoritatem. IV. Si etenim ideo pascere non significat Præfecturam, & dignitatem, quia pascere est proprium servi afferentis cibum, velut Lutherus de potestate Papæ fabulatur; igitur nec Christus tanquam Pastor bonus, ullam dicet Præfecturam, & dignitatem; nec David Pastor a Deo nominatus erit Præfector, & Superior in dignitate. Cur ergo quæso, Ezechielis textu citato, vocatur a Domino: *Servus meus David Princeps in medio eorum?* Quod si Princeps Pastor est, quomodo ergo ratio Pastoris est

est propria ratio servi afferentis cibum? quomodo hæc ad invicem cohærent judicet Arbitr̄ xquus, num in hocce Lutherio, præ Deo credendum sit? V. Christus erat bonus Pastor, ideoque animam suam posuit pro ovibus suis, ubi vero Petrum Pastorem constituit, vult similiter: ut Petrus ponat animam pro ovibus suam, eaque propter dixit Joan. 21 v. 22. *Tu me sequere*, quod de morte dictum scriptura fatetur; ergo vult Petrum pascere oves non aliter, ac ipse Christus pavit, sed Christus pavit oves non ut inferior, sed ut Princeps, & Superior earum, ergo similiter & Petrus. VI. Ideo: Cum dixit Christus: *pasce oves meas*, non contulit Petro superioritatem, quia usus est verbo præceptivo, velut Lutherus ait; sed etiam dum Christus dixit Apostolis: *cuntes in mundum universum predicate Evangelium omni creature*; *Docete omnes gentes*; usus est verbo præceptivo, & tamen juxta ipsum Lutherum contulit per hoc imperium Apostolis potestatem simul evangelizandi; ergo tametsi usus sit Christus verbo præceptivo, per verba: *pasce oves meas*; Petro nihilominus contulit eas potestatem gubernandi; per consequens si contulit potestatem gubernativam, contulit & potestatem superioritatis. Hæc etenim non sunt sui eversiva, ut cuiilibet sane consideranti patere potest: præcipere nempe, & præcipiendo conferre potestatem. Etenim Christus ipse dixit Paralytico: *tolle grabatum tuum, & ambula*; quo non obstante contulit illi ambulandi potestatem; eo modo, quo dixit adolescenti: *ego dico tibi, surge*; ubi & surgere præcepit, & surgendi potestatem, & surgenti vitam contulit.

m. eadem p. quoad. II. partem, nempe: Christum Petro super omnes oves suas confignasse Profecturam, & Superioritatem, & non pure super aliquas, velut Acatholici clarum textum anatomizare volentes sine omni prorsus fundamento somniant. I. Ideo Petro omnes fideles non creditit Christus, quia est usus, ut ait Lutherus, termino indefinito, *oves*, & non universalis; sed eo ipso si Philosophus esse cupit veritas Catholica comprobatur; ergo eo ipso Christus omnes Petro oves concredidit. M. est purum dogma, una ac effugium Lutheri in p. ratione Philosophica: terminus indefinitus juxta Philosophiam in materia necessaria, qualsis est materia fidei æquivalens universalis; ergo eo ipso omnes fideles universaliter Petro commisit. II. ubi nullus excluditur, ibi omnes includuntur; sed a Christo per verba: *pasce oves meas*, nullus in hac propositione excluditur; ergo omnes includuntur. Explicatur Argumentum: Ille terminus

meas magis explicat universalitatem, quam omnes; quod sic juxta regulas bona Philosophiae exemplificari potest: quando enim Christus Joan. 10. v. 16. ait. *animam meam peno pro ovibus meis*, nullum indubie excipit, mortuus enim pro omnibus est, & terminus: *ovibus meis*, universaliter distributive complete supponit; ergo pariter dum dicit: *pascere oves meas*, de omnibus dicit, nullum excipiendo. III. Quotquot sunt Christi oves, unum constituunt ovile sub uno Pastore: velut habetur Joan. 10. v. 16. *alias oves habeo, que non sunt ex ovili hoc: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fieri unum ovile, & unus Pastor;* sed Petro oves suas Christus commendavit, ergo suum quoque commisit ovile; si etenim oves Christus committens suas, ovile suum reservaret, jam Christi oves non de uno, sed de multiplici forent ovili. IV. Quando Christus dixit: *pascere oves meas*, vel omnes eidem concredit, vel nullas, vel aliquas tantum? si primum, stat veritas Catholica, & intentum obtinet; si secundum: falitur veritas textus a Christo prolata. Si tertium: Verbum Domini insipientia nota inuritur; quia propositio hæc facit sensum confusum. Cum enim non distinguat, quales illæ oves sint, quas pascere Petrus debet, an bonæ, vel malæ, idem diceret, ac si nullas commendasset; nescitur enim in hac hypothesi, quibusnam ovibus invigilandum sit, aut quænam pascendæ. V. Universitas Ecclesiæ ex subditis, & Pastoribus conflatur; sed Petro subditi, & Pastores fuere commendati, nam bis dixit Christus: *pascere agnos meos*, iterumque: *pascere oves meas*; ubi pro agnis veniunt fideles, pro ovibus Pastores; oves enim sunt, velut matres lactantes agniculos, ergo. Ita enim discurrevit Eusebius Emissenus, seu Eucherius Lugdunensis Episcopus, aut alter antiquus Gallicanus Antistes Serm. de Nat. SS. Petri & Pauli: *Prius agnos, deinde oves, (Petro) commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit.* *Pascit igitur Petrus agnos, pascit, & oves; regit & subditos, & Prelatos; pascit filios, pascit & matres Omnia igitur Pastor est;* *quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est.* Dedit ergo Dominus Petro universalem totius Ecclesiæ curam non quidem executive quo ad singulos fideles, sed directive, & mediis inferiorum ministris; sicut Caput naturale totum corpus dirigit, sed mediis membris. Et ideo Apostoli distributi sunt in diversas orbis partes, quasi in diversas portiones, ut executive Petro commissa fides, ubique prædicaretur, & ubique Ecclesiam vivificaret.


Quia

Quia vero pascere oves super easdem dominium importat, jam clarum sit ipsas Petro fore subjectas.

His absolutis solutæ abunde manent quædam Lutheranorum nugæ, & ineptiæ; videlicet: quod ovibus non dixerit Christus, Petro obedite, quod Petrus peccasset singulas immediate non pascendo; imo unum non universum orbem pascare, & hujuscemodi. Hæc enim objiciens vere: *noluit intelligere, ut bene ageret, velut Psal. 36. v. 4. vaticinatus est; si etenim Christus fuit Pastor bonus, non obstante, quod non dixerit ovibus obedire mihi; si Christus non peccavit singulas immediate non pascendo, cum ab Apostolis multi, & curati, & ædificati, & baptizati sint fideles, quam quæso culpam querunt in Pastore a Christo constituto; illi qui: utinam sapiente; & intelligerent Deut: 32. v. 29. quid Pastor primarius, lapis angularis, & fundamentalis dixerit: Joan. 13. v. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & nos faciatis. Amen amen dico vobis: non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hec scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Confirmatur veritas proposita ex Patribus, qui tam clare, diserte, & rotunde loquuntur de Primatu Petri, & præminentia, ut clarius, disertius, & rotundius loqui non possint. Nam aliqui expresse vocant illum *Vicarium Christi*, ut Ambrosius ad cap. 24. Lucæ. Anselmus ad cap. 16. Matthæi. Bernardus l. 2. de consideratione ad Eugenium. Alii *Caput Ecclesiæ* ut Hieronymus in Psal. 13. Chrysostomus hom. 11. in Matthæum. Alii *Caput fidelium*, & *Pastorem Gregis Domini*, ut S. P. Augustinus in l. quæst. veteris, & novi testamenti. Alii *Caput omnium Apostolorum*, ut Optatus l. 2. contra Parmenianum; Cyrillus Alexandrinus l. 12. in Joan. c. 64. Alii *Principem Apostolorum* ut Cyrillus Hierosolymitanus catech. 2. & 11. Basilius in Proœmio præceptionum latius disputatarum Hieronymus in catal. scriptorum Eccl.

Audiamus in hoc sensa clariora eorum. S. P. Augustinus lib. de Pastrib. c. 13. *Imo vero, & in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur: pasce oves meas. Quod clarius explicans Hieronymus l. 1. contra Jovinian. ait: propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. - Et Cyprianus l. de simplicitate Prælatorum: Petro post Resurrectionem suam dicit: pasce oves meas.*



Argumentum. III. desumptum ex prærogativis, & privilegiis Petri, ex quibus eminentia ipsius supra alios Apostolos colligitur; non quidem quod singulæ prærogativæ seorsim sumptæ sufficientes sint ad adstruendam Petri præminentiam supra alios; sed quod omnes simul sumpta id confiant. Sunt autem hæ præcipue: I. Quod Christus soli Petro inter omnes Apostolos proprium mutaverit nomen. II. Quod in Evangelio, ubi nomina Apostolorum recensentur, semper primo loco ponatur Petrus. III. Quod scriptura loquatur de Petro tanquam Principe, / de aliis vero Apostolis, tanquam subditis. IV. Quod Petrus sæpe loquatur nomine omnium Apostolorum, tanquam eorum Antesignanus. V. Quod inter omnes Apostolos, soli Petro facta sit prima revelatio Divinitatis Christi. VI. Quod soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei, & Cathedra. VII. Quod post resurrectionem Christus inter omnes Apostolos soli Petro primum comparuerit. VIII. Quod Petrus sua auctoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli, in locum Judæ proditoris. IX. Quod primus promulgaverit judæis post acceptum Spiritum Sanctum Evangelium. X. Quod primum miraculum apud judæos fecerit in confirmationem Evangelii. XI. Quod primus prædicaverit gentibus Evangelium; & quod ipsi soli oblata sit visio Coelestis de vocatione gentium. XII. Quod primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit. Quæ certæ prærogativæ, ut alias omittam, ostendunt, aliquid peculiare fuisse in Petro, quod in aliis non fuit Apostolis. Quæ ut melius percipiантur declarandæ erunt singulæ.

I. Igitur prærogativa habetur Joan. 1. v. 42. Cum enim antea vocaretur Simon, postea vocatus est Cephas, id est Petra; quæ prærogativa ei fuit communis cum Abrahamo, qui cum antea vocaretur Abram; id est: Pater excelsus, postea vocatus est: Abraham, id est: Pater multarum gentium. Gen. 17. v. 5. Major tamen Petri prærogativa est præ Abrahæ; nam Petrus idem nomen fortius est, quod Christus. Cephas enim, & Syriacæ, & Græce sumi potest teste Optato lib. 2. contra Parmenianum. Syriacæ significat Petram, vel lapidem; Græce Caput. Utroque hoc nomine Christus sæpius appellatus est. Itaque per hanc nominis mutationem voluit Christus significare: Petrum fore Caput, & fundamentum Ecclesiæ, sicut ipse erat; cum hoc tamen discrimine; quod Christus Caput sit, & fundamentum primarium, Petrus loco Christi secundarium.

II. Altera prærogativa habetur Matth. 10. v. 2. *Duodecim Apostolorum nomina sunt haec: primus Simon, qui dicitur Petrus &c.* Idem habetur Marci. 3. v. 16. Lucæ 6. v. 14. Act. 1. v. 13.

III. Tra-

III. Traditur tertia prærogativa variis locis, nempe: Marci. I. v. 36. Et prosecutus est Simon, & qui cum ipso erant. Et Lucæ. 8. v. 45. Dixit Petrus, & qui cum illo erant. Lucæ. 9. v. 32. Petrus vero, & qui cum illo erant. Et Act. 2. vi 4. Stans Petrus cum undecim; & alibi sæpius. Qui modus loquendi usitatus est in scriptura, & significat Principem cum suis subditis, ut manifeste constat ex sequentibus. I. Reg. 30. v. 4. David, & populus, qui erat cum eo. Et infra v. 9. David, & sexcenti viri, qui erant cum eo. Et Machab. 8. v. 1. Judas Machabeus, & qui cum illo erant. Et cap. 10. v. 1. Machabeus autem, & qui cum eo erant. Et cap. 11. v. 6. Illt autem Machabeus, & qui cum eo erant. Et Apoc. 12. v. 7. Michael, & Angeli ejus prelibabantur. Sicut ergo ex hac loquendi forma recte colligimus: Davidem, Judam, Machabæum, & Michaelem Archangelum fuisse Principes respectu eorum, qui cum ipsis erant: sic etiam recte colligimus ex simili loquendi forma: Petrum fuisse Principem aliorum Apostolorum qui cum illo, dum hoc loqueretur erant.

IV. Hæc prærogativa sæpe traditur in Evangelio, ut videre est Matth. 19. v. 27. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Et Lucæ 12. v. 41. Domine ad nos dicas hanc parabolam, an ad omnes? Et Joan. 6. v. 68. Dixit ergo Jesus ad duodecim: nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vita aeterna habes. Hic Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. c. 18. ait: per unum, qui præerat, omnes respondent. Et Cyprianus l. i. epist. 3. ad Cornelium: Petrus tamen, super quem edificata abi eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesia voce respondens ait: Dominus ad quem ibimus?

V. Hæc prærogativa clare posita habetur Matth. 16. v. 17. Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est. Quare præ cæteris beatus? quia præ cæteris a Patre Cœlesti revelatum illi erat: Tu es Christus Filius Dei vivi. Magnum procul dubio privilegium.

VI. Hæc prærogativa habetur duobus locis, primo: Lucæ. 22. v. 32. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Ubi stabilitas fidei Petri promittitur, qui insuper jubetur, ut confirmet in ea fratres suos. Altero loco habetur Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc Petram

edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt aduersus eam;
 Ubi stabilitas cathedræ Petro promittitur, cum per Petram Petrus intelligatur, super quem edificata a Christo est Ecclesia. Et quamvis non solum Petrus, sed etiam reliqui Apostoli sint lapides fundamentales Ecclesiae juxa illud Apocal. c. 21. v. 14. *Et murus civitatis, habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum: Agni;*
 tamen hoc non obstante Petrus est fundamentum post Christum inter eos præcipuum, & indefectibile; quoniam cæteris Apostolis, & eorum successoribus non est promissa constantia, & firmitas in fide, quæ Petro, & illius successoribus promissa est. Unde Cathedra Petri, & successorum ejus adhuc firma consistit, nec in ea hactenus defecit fides Catholica, velut bene adverrit S. P. Augustinus, in Psalmo contra partem Donati, ubi ait:
Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbe inferorum porta. Cathedra vero aliorum Apostolorum, quia non habuerunt hanc promissionem in successoribus pridem colapsæ sunt; ut Cathedra Jacobi Hierosolymitana, Joannis Cathedra Ephesina, Matthæi æthiopica, Andreae Scythica. Sola Petri cathedra hactenus manet firma; verum quare? quia *nec porta inferi prævalebunt aduersus eam.*

VII. Hanc prærogativam fatentur Apostoli coram discipulis duobus re-deuntibus ex Emmaus Lucæ. 22. v. 34. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Et clarissime Paulus 1. Corinth. 15. v. 4. *Resurrexit ter-tia die secundum scripturas, & visus est Cepha, & post haec uiderim;* Quasi diceret: primum visus est ipsi Cepha, & postea alio tempore visus est aliis. Etenim Chrysostomus locum illum ita interpretatur: *itaque Petro primum apparet, nam qui Christum primus confessus erat, non abs rc primus etiam resurgentem videt.*

VIII. Hactenus adductæ sunt prærogativæ, quæ præcesserunt exerciti-um jurisdictionis Petri; nunc porro reliquas adducere oportet, per quas Petrus Primum suum in exercitio comprobavit. Primus itaque actus ju-risdictionis habetur Act. 1. v. 15. *In diebus illis, exurgens Petrus in me-dio fratrum dixit: Viri fratres, oportet impleri scripturam &c.* Hic est actus primus præfecturæ Petri; de quo Chrysostomus hom. 3. in Act. *Quam est feruidus Petrus: quam agnoscit creditum a Christo gregem: quam in hoc choro Princeps est; Et ubique primus omnium incipit loqui.*

IX. Hanc prærogativam testificantur Acta Apostolorum c. 2. v. 14.

Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis: viri judai, & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea; Et post haec prædicat fidem in Jesum ab ipsis inique occisum, baptisatum, & paenitentiam his verbis. v. 38. Petrus vero ad illos: paenitentiam inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. Nam: sicut Moyses prælatus est alii in promulgatione legis veteris testamenti, quia habuit Primatum in Synagoga, & tanquam Princeps legis a Deo constitutus est in populo; ita Petrus prælatus est alii in promulgatione legis novi testamenti, quia Primum habuit in lege gratiæ, & tanquam Princeps a Christo constitutus est in populo Christiano.

X. Petrus primum miraculum fecit in confirmationem Evangelii a se promulgati, sanando claudum ex utero matris, Act. 3. v. 6. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Haec autem prærogativa non consistit in eo: quod Petrus miraculum fecerit in fidei confirmationem, id etenim omnes etiam fecerunt Apostoli; velut habetur Marci 16. v. 20. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; sed consistit in hoc: quod primum miraculum fecerit post promulgationem Evangelii; sicut etiam in veteri testamento, Deus miraculo confirmavit Primum Moysis, Num. 16. Ac deinde Primum Aaronis Num. 17. Secundo: in hoc prærogativa haec una consistit: quod fecerit miraculum, non qualemunque, sed quod claudum sanaverit, pedes ipsius consolidando. Id etenim mysterio non caret, ut notat Ambrosius serm. 66. Nam per hoc, quod pedes infirmi hominis firmavit, ac consolidavit, significatum est, ipsum esse firmum, ac solidum fundamentum Ecclesie.

XI. Haec prærogativa habetur Act. 10. v. 34. Huic prærogativæ annexa est alia, quod soli Petro ostensa sit visio, qua jubebatur gentibus Christum annuntiare; quæ habetur Act. 10. v. 10.

XII. Hoc clare habetur in Actibns Apostolorum 15. v. 5. Cum autem magna contentio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, nos scitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit per OS MEUM audire gentes verbum Evangelii & credere. Quæ omnia fusius deducta videri possunt § V. Questionis Præliminaris in argumento contra II. Resolutionis II. partem. Nunc porro sequitur.

§. III.

ABsoluto Petri Primatu Ecclesiam post Christi ascensionem visibiliter loco Christi gubernantis, sequitur: Gubernator Ecclesiae loco Petri, ejusdem videlicet & in cathedra, & in officio, una ac dignitate successor; eam more Christi, & exemplo post Petrum Christi Vicarium gubernans. Cum etenim Christus Corpus Ecclesiae voluerit esse usque ad consummationem saeculi, ipseque regimen Ecclesiae post se instituerit per unum sui Vicarium a se nominatum gregis Dominici Pastorem: Petrum videlicet, ut sat fuse ostensum est; ne igitur nunc variato regimine admisso post Petri mortem, variatam substantialiter Ecclesiam admittere arbitrarie, & sine fundamento sit necesse, oportet successorem Petri in regenda Christi Ecclesia designare, qui post Petrum universam visibili modo regat Ecclesiam, ex ipsius Christi institutione in Petro fundatam, atque ab eo visibiliter gubernatam post Christi a terris ascensionem. Unde certo corpori visibili, ac perpetuo, qualis est Ecclesia, certum Caput visibile post Petrum assignari est necesse; velut Christus designavit post mortem suam; ne exemplum, una, ac institutio Christi in Ecclesia desideretur nunc, a Christo quondam visibiliter gubernata, Petro olim clare extraditum per potestatem gregem Domini gubernandi a Domino dicente: *pasce oves meas.* Ad nostra igitur tempora extendi hanc institutionem Christi est necesse, per successores Petri; ni Ecclesiam eam, quam Christus in Petro fundavit, & formam gubernandi instituit, agnoscere nolimus. Successorem porro inquirere restat corporis Ecclesiae a Christo instituti, qui hactenus velut Petrus visibiliter regat Ecclesiam, fidelesque omnibus usque ad consummationem saeculi temporibus in unitate fidei a Christo revelatae contineat, ad perpetuam Ecclesiae conservationem a Christo institutam, ne portae inferi prevalere possint adversus eam. Dictum proinde Caput corporis mystici a Christo instituti denominabit, una, ac in possessione immemoriali stabiliet atque confirmabit:

Resolutio II.

Dignitas Capitis Ecclesiae eam visibiliter loco Christi post Petrum gubernantis residet in solis Petri successoribus Romanis Pontificibus, legitime electis, & ab Ecclesia acceptatis.

Dicta potestas, & dignitas eis competit I. jure Divino, & ex institutione Christi II. Jure humano tam civili, quam Canonico III. unanimi consensu Conciliorum primorum Saeculorum, & Patrum, ac doctorum hominum.

IV. ju-

IV. Jure, & titulo legitimæ Præscriptionis. Omni igitur jure Primatus in spiritualibus in universam Christi Ecclesiam competit Petri in cathedra successoribus Romanis Pontificibus legitime electis, & ab Ecclesia acceptatis.

Argumentum. I. ex jure Divino, & institutione Christi petitum. Non mintis perpetua, & firma esse debet Petra, supra quam a Christo fundata est Ecclesia, quam ipsam fundata Ecclesia; sed Ecclesia jure Divino, & institutione Christi est perpetua, velut habetur Matth. ult. v. 20. *Et ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi;* ergo etiam Petra supra quam fundata est; sed Petra hujusmodi jure Divino, & institutione est Petrus, juxta illud: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* velut satis ante est ostensum; ergo Petrus jure Divino, & institutione Christi est perpetuus; atqui in se ipso & gubernio personali non est perpetuus, ergo debet esse perpetuus in suis successoribus.

Discursus hic declaratur. I. Sicut se habent Apostoli, ut Ecclesiæ membra ad Christum, ita se habet Petrus ut fundamentum ad Ecclesiam, sed quia Christus perseverat in Ecclesia usque ad consummationem seculi, ly *vobiscum sum* intelligitur de Apostolis in suis successoribus, tanquam Ecclesiæ membris; ergo quia Ecclesia ædificata supra Petram est perpetua, ly *super hanc Petram* intelligitur de successoribus Petri.

Declaratur. II. Christus in hac vita fuit Caput Ecclesiæ visibile in externa gubernatione, sicut *vir est caput mulieris*; Secundo: hæc gubernandi forma non est mutata post ascensionem Christi, ac proinde etiam nunc opus est visibili Capite Ecclesiæ, quoad externam gubernationem. Tertio: hoc Caput non aliud fuit post Christum, quam Petrus, cui dictum est a Christo: *pasce oves meas;* ergo cum post mortem Petri non sit facta substantialis mutatio in regimine Ecclesiæ, necesse est: Petro successisse aliquem, qui eodem modo, quo Petrus Ecclesiam gubernaret.

Jam subsumitur: atqui Romanus Pontifex legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus est Petri successor in Cathedra, & Pontificatu universalis Ecclesiæ, ergo dignitas Capitis Ecclesiæ eam visibiliter loco Christi post Petrum gubernantis, residet in solis Petri successoribus Romanis Pontificibus. m. p. Ille legitimo jure succedit Petro in Pontificatu, qui sedem obtinet, in qua mortuus est Petrus, sed Romanus Potifex sedem obtinet, in qua mortuus est Petrus, ergo Romanus Pontifex in Pontificatu Petro succedit. M. declaratur. I. quia aliquem succedere oportet, ille autem optime succedere censetur, qui sedem Antecessoris capit, cum qua capit & una dignitatem, ut patet in Regibus, & Monarchis sibi succendentibus,

ubi successor in plenum jus sui Antecessoris succedit. M. declaratur. II. Petri successor una debet esse determinata persona, sicut ille, qui fuit Christi Vicarius una fuit determinata persona; secus formā gubernii alia foret a temporibus Christi, & Apostolorum, proindeque non amplius eadem esset substantialiter Christi Ecclesia. Insuper hēc persona ita debet esse determinata, ut hēc demonstrari, ac ab aliis discerni possit; etenim una determinata Persona, ut ajunt adversarii, in genere, nec primum Ecclesiæ regimen imitatur, nec Ecclesiæ bono inservit; cum fideles haud scirent, cui accedere pro controversiarum decisionibus valeant. His p̄̄suppositis sic discurrere licet: Petrus quādiu vixit, Pontificiam ligatam habuit dignitatem Personæ propriæ; ergo cum persona hēc non manserit usque ad consummationem s̄culi, reliquit sedi, in qua obiit, successionem dignitatis; sed Romæ obiit, ut omnes Patres antea Petri viciniores fatentur, una ac prudentiores h̄eretici; sic enim cum pluribus Calvinus ait lib. 4. instit. cap. 6. n. 15. *Propter buncscriptorum consensum non pugno, quin illie mortuus fuerit.* Cui concinit Marcus Antonius de Dominis lib. 4. de Repub. Ecclesiæ c. 1. n. 2. scribens: *Petrum Rome Martyrio coronatum fuisse, malo assentiri, quam reluctari, ob plurimorum Sanctorum Patrum consensum.* Ergo. a. patet ex ipsa Christi confessione, una ac traditione potestatis a Christo Petro collata, in quo solo Christus eam collocavit dicendo: *tu es Petrus &c. pāsc oves meas.* c. itidem patet. Cum enim aliquem succedere sit necesse, ne regimen Christi Ecclesiæ mutetur, si non personam sui loco, saltem in locum personam succedentem relinquere debuit Petrus; ut Christi adimpleat intentionem, & Ecclesiæ in eo statu relinquat, in quo fuit a Christo tum instituta, tum relecta, per Petri gubernium continuanda; tum ab ipso Petro porro posteritati in eadem forma regiminis relinquenda.


Quod autem Romæ successionem reliquerit Petrus potius, quam alibi, ipsem insinuat; quia illi sedi successionem Petrus alligavit, quam ipse sibi elegit; at qui elegit Romanam, velut innuit epist. I. c. 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, que est in Babylone colecta;* ubi prout jam ostensum est pro Babylone Romanam intelligit, ergo Petrus Romæ sedi successionem alligavit. Collecta legunt codices, sed emendatores legunt colecta, id est: sibi electa, ut habet Cajetanus; hanc autem semel assumptam nec vivens, nec moriens mutavit. II. Illi sedi successionem alligavit, cuius fides per universum orbem p̄̄dicatur, atque infallibilitatis gaudet privilegio; sed fides Romanæ sedis ubique terrarum p̄̄dicatur, habetque infallibilitatis privilegium, ergo. M. declaratur: Sicuti etenim a fonte tanquam a fundamento omnes

omnes oriuntur scaturigines, ita illi fonti affixa est principaliter fontalis fides, a quo per orbem universum derivantur fidei scaturigines; unde si-
cūt fons habet infallibilitatem omnium scaturiginum, ita fides Romana, si
fons est: *Omnium scaturigo, & fons infallibilis aliorum Christi fidelium*
est. m. probat testimonio suo, una ac docet Apostolus ad Rom. I. v. 8.
Fides nostra annuntiatur in universo mundo. Quæ insuper quoad alte-
ram partem traditur Lucæ. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat*
fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos; ergo fides
Romanae sedis velut ex Apostolo constat, ubique terrarum prædicatur, ha-
betque infallibilitatis privilegium, velut ex Luca patet.

Dices cum Marco Antonio de Dominis: *Eo sane modo, quo Petrus fuit*
Romanus Episcopus, fuit etiam Antiochenus, & infinitarum Ecclesiarum,
quasipse fundavit, & in quibus ipse actu suum exercuit Apostolatum,
sive Episcopatum; non minus igitur erunt Petri Successores Antio-chenus, & alii, quam Romanus.

Verum ex quotidianis exemplis solutio hujus frivola instantia sequitur:
Etenim non is dicendus est illius sedis Episcopus, quam reliquit, sed ejus
ad quam translatus est, atque in ea ad mortem usque perseveravit. Pe-
trus quidem Antiochenæ Ecclesiaz fuit Episcopus, sed pro tempore, nam
ea Evodio commendata, Romanam suscepit post gubernandam. Primam
igitur sedem deserens, illius quoque Episcopus delit esse; illiusque Epis-
copus sedis evasit, quam Deo jubente usque ad obitum administravit; in
eoque successionem reliquit post mortem suam; siquidem successio non nisi
post mortem effectum fortitur suum; mors etenim jus hæreditatis confir-
mat; & in aliis sive Ecclesiasticis, sive Politicis successionibus est solemne:
quod tribuatur loco, seu sedi per mortem consecrata a persona habente jus,
etiam si loca mutaverit Hinc si Episcopus ad alium transeat gradum priori
Episcopatu relictō, in eoque diem claudat extremum, successio proprie-
dicta ab ultimo loco denominabitur. Hinc quamvis Petrus Antiochenus
Episcopus aliquando fuerit, Antiochenam tamen sedem in Romanam mu-
tavit. Alexandrinam vero, non per se, sed Marci opera constituit, sed in
ea Episcopatum non gescit. In quibus proinde Ecclesiis successionem com-
parare sibi non potuit, sed in sola Romana, in qua usque ad mortem Epis-
copus permanuit; velut discurrit Boverius censura Parænetica part. 2.
lib. 4. c. 6.

Respondet idem Hæreticus c. 6. n. 8. *Etiam se ex Divino Jure Suc-*
cessio.



cessonis deberet aliquis, Petro succedere in Primatu Ecclesie, adhuc tamen negandum esse, Romanum Pontificem fore Petri successorem.

Verum: vere miram pertinaciam effugium in hoc invenire non valentis Marci Antonii de Dominis: Quis ergo Petro succedet si non successor Petri? aut Marce Antoni? an aliquis alius? designa si potes, secus fidem honesti viri non mereberis! aut te hocce constringam ratiocinio: aliquis jure Divino debet succedere Petro in Primatu ex suppositione institutionis Divinæ, Pontificem succedere negas, quod omnes antiqui Petres affirmant; dicas alium esse debere, quod haec tenus nemo unus Patrum antiquorum dixit. Quis ergo erit? designa, si potes? secus quis credet tibi? forte tu nec ipse tibi! ergo: Pax tibi Marce!

Sed dicis: quo ergo jure Romanus Pontifex potius succedit, quam quis alius Episcopus? R. dicam charissime Antoni! jure nempe Divino, seu ex institutione Christi. Nam quia Christus semel instituit in Petro, ut Ecclesia gubernaretur ab uno visibili Capite, seu Pastore loco Christi, necessum est, ex vi illius institutionis, ut moriente uno Pastore, succedat alius in ejus locum; velut in testamento veteri factum est, ut habet Paulus ad Hebr. c. 7. v. 23. Alioquin nisi alter alteri succederet, non servaretur institutio Christi, qua voluit, ut Ecclesia semper haberet unum visibilem Postorem loco sui, cui diceret, quod Petro dixit: *pascere oves meas.*

Dicis: sed unde constat; Pontificem Romanum debere esse hunc successorem Petri, & non alium? R. Et hoc dicam, unde constat: id etenim satis constat ex perpetua traditione. Scis ne charissime Antoni! ea quæ sunt juris, aut institutionis Divinæ, dupliciter nobis innotescere: vel, ex scriptura, vel ex Traditionibus, sicut ergo ex scriptura nobis constat Christum fuisse visibile Caput Ecclesie, & Petrum ab eo Ecclesie constitutum Vicarium per illud: *pascere oves meas*; ita constat ex Traditionibus, Pontificem Romanum esse Petri successorem. Quam Traditionem accipimus ab antiquis Conciliis, & Patribus; quæ priusquam referantur, eandem veritatem declarabit prius, una ac ex institutione Divina comprobabit.

Argumentum. II. ex eodem jure Divino, & institutione Christi petrum. Potestas ordinaria transit in successores, sed Pontificatus universalis Ecclesie in Petro est jure Divino ordinarius; ergo is transit in Successores. M. ipsi Adversarii adoptare non recusant, eaque propter concedunt dignitatem Petri, ut est particularis Ecclesie Romana Episcopus ad Successores

sores transfire; veluti Jacobi dignitas in sede Hierosolymitana ad successores transivit. m. evincitur: Joan. 21. Christus illis verbis: *pasce agnos meos, pasce oves meas*, omnes eidem oves concredidit, quæ sunt Christi; velut Paulo ante in Resolutione. I. satis dictum est, ergo illi concredidit universalis Pastoris officium; sed Pastoris munus est ordinarium, ergo Pontificatus universalis Ecclesiæ in Petro, est jure Divino ordinarius. Declaratur idipsum: Pastor ordinarius in eo contradistinguitur a mercenario, velut legere est Joan. 10. quod Mercenarius non curat de ovibus, unde videntes venientem lupum fugit; Pastor vero ordinarius animam suam dat pro ovibus suis; sed cum Petro tradidit Christus oves pascendas, ab ipso amorem exquirit, eique mortem prædictit; ergo ipsum ordinarium Pastorem instituit II. Christus Petro commendavit oves suas: *pasce oves meas*, easque declaravit in uno ovili usque ad consummationem sæculi duraturas, sed ipsi in persona sua non potuit tradere oves pascendas in uno ovili usque ad consummationem sæculi, ergo eas ipsi commendavit pascendas per suos Successores.

Ut vero res tota clarius innotescat advertendum est monente Bellarmio; quod aliud sit successio, & aliud ratio successionis; nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto, Christi est; ratio autem successionis, qua Romanus potius Pontifex, quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habet. Successio inquam, ipsa ex instituto Christi, & jure Divino est; quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi; ac proinde quicunque Petro succedit a Christo accipit velut Petrus Pontificatum. At vero ipsa ratio successionis, quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit potius Petri Successor, præ alio, id ex facto Petri ortum habet, non vero ex prima institutione Christi. Nam potuisse Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis; & tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is, quem Ecclesia sibi elegisset. Potuisse quoque Antiochiae semper manere, & tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Roma sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus Pontifex ei succedat. Et quoniam S. Marcellus Papa in Epist. ad Antioch. scribit: *Petrum Domino jubente Romam venisse*; & S. Ambrosius in Orat. cont. Auxent. & Athanasius in Apol. pro fuga sua dicunt: *Petrum Christi iussu Roma martyrium perculisse*; non est improbabile, Dominum etiam aperte iussisse, ut sedem suam Petrus ita figeret Roma, ut Romanus Episcopus

copus absolute ei succederet. Sed quidquid de hoc sit, saltem ista ratio successionis non est ex prima institutione Pontificatus, quæ in Evangelio legitur, quamvis ipsa successio ex ipsa Christi sit institutione.

His pro clariori notitia præanimadversis ipsa successio in Cathedra Petri demonstratur a pari. Synagoga: quæ fuit Ecclesia paedagogia, quovis tempore unum sortita supremum Sacerdotem fuit, quo regeretur; ergo & Ecclesia tanquam completiva figuræ unum semper habere debet supremum Caput, quo dirigatur. a. constat. siquidem Aaroni successit Eleazarus Num. 20. Eleazaro Phinees Jud. 20. & sic de cæteris. c. declaratur: Si namque suprema Sacerdotalis dignitas in primo Sacerdote Aaron non expiravit, sed per carnalem propagationem ad alios transivit; potiori certe jure suprema Sacerdotalis dignitas Ecclesiæ successores habere debet; non enim melioris notæ est ancilla, quam Domina. Et sane Synagoga Sacerdotalem successionem sortita est, quia unum necesse erat supremum tribunal, quod exurgentis lites compонeret, fideique explicaret controversias Deut. 17. v. 8. & seq. Sed in Ecclesia juxta scripturarum vaticinia, lites, fideique controversias exurgentis novimus, ergo unum supremum debet semper tribunal adesse, quod eas dirimat, explicetve.

Nunc porro jus humanum inspiciendum erit, quemnam illud agnoscat esse legitimum, & agnoverit semper ab Exordio Ecclesiæ, Petri successorem; illud porro præstabit N. II. Argumentum ex jure Canonico peti-
tum, una ac Civili. Tam jus Canonicum, quam jus Civile semper agno-
vit Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem; Caputque
universalis Ecclesiæ, ergo. a. p. referendo statuta utriusque juris. Ac
præprimis referuntur statuta Summorum Pontificum. S. Julius. I. in
Epist. ad Orient. quæ extat in Apol. 2. S. Athanasii ita loquitur: *An igna-
ri estis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod
justum est definiri possit? quapropter, si isthic ejusmodi suspicio in Episcopum
concepta fuerat, id buc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.*
Et infra: *Quæ accepimus a B. Petro Apostolo, ea vobis significo, non
scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror.* Quibus verbis indicat
causas Episcoporum ad se pertinere, & hoc jus a B. Petro se accepisse, at-
que id omnibus notum esse. Auctor certe est Sanctus, & vetustissimus;
Epistola certa, & a S. Athanasio tota descripta; verba illius perspicua,
& clara, adeoque de veritate non dubitandum. S. Damasus in Epist. 4.
ad Episc. Numid. dicit: *Cuncta, quæ possunt aliquana recipere dubita-
tionem, ad nos tanquam ad Caput, ut semper fuit consuetudo deferre*

non definitis. Item docet S. Innocentius in Epist. 22. ad Episc. Maced. *Adverti (inquit) Sedi Apostolica, ad quam relatio, quasi ad Caput Ecclesiarum missa currebat, fieri injuriam &c.* Idem in Epist. ad Concil. Carthag. quæ est. 91. Romanam sedem dicit esse: *Fontem, & Caput omnium Ecclesiarum.*

Respondent ad hoc Magdeburgenses: Innocentium nimis multum sibi arrogare; quo circa eum per contumeliam Nocentium vocant. Ast si ita est: cur veteres Patres hunc Innocentii errorem non reprehenderunt? cur S. P. Augustinus in Epist. 106. ad Paulin. de his duabus Epistolis Innocentii. loquens ait: *Ad omnia ille nobis rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolice Sedis Antifitem.* Cur ibidem S. Pater Innocentium Beatae memorie Papam appellat? Idem Confirmat Leo Papa serm. I. de natali Apost. his verbis Romanam urbem: *Per sacram Beati Petri Sedem Caput orbis effecta, latius presideres Religione Divina, quam dominatione terrena,* S. Gelasius in Epist. ad Episc. Dard. sic ait: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote que de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio S. Gregorius Magnus l. 7. Epist. 63. ad Jo. Episc. Syracus.* inquit: *De Constantinopolitana Ecclesia, quis eam dubitet Seda Apostolica esse subjectam?* quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Ensebius ejusdem civitatis Episcopus assidue proficitur. Et in Epist. 64. ad eundem: *Nam (inquit) quod se dicit Sedi Apostolica subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio, quis ei Episcopus subjectus non sit &c.* Quo nil clarius pro dignitate Romani Pontificis dici potest. Verum Respondet Calvinus l. 4. instit. c. 7. n. 12. Gregorium tribuisse sibi jus corrigendi alios, non autem paruisse ei, nisi illos, qui volebant. Ast vere tamerarium dictum! Nam Gregorius Sanctissimus; & humillimus fuit; quoerica etiam Græci ejus diem festum colunt; & ipsemet Calvinus lib. 4. instit. c. 7. n. 22. Gregorium virum Sanctum fuisse fatetur; non potest autem cum Sanctitate consistere usurpatio juris alieni. Neque etiam esset nævus, aut macula venialis, injuste subjecere sibi omnes Episcopos, sed intollerabilis superbia, & ipsissima Antichristi nota, ut ipsimet frequenter docent; quomodo igitur Gregorius Sanctus erat, si omnes Episcopos sibi injuste subjecit?

Plura Pontificum testimonia, & Sanctiones videri possunt in Belarmino de Roma-

Romano Pontifice l. 2. c. 15. quæ hoc transcribere non vacat, quoniam hæretici more suo magni ea non estimant, sua libertate sentiendi, quod lubet, contenti. Dedimus tamen eorum sæculorum oracula a Pontificibus declarata iis, quos ipsimet hæretici plerique venerantur, & pro Sanctis declarant; utpote sæculorum eorum, in quibus (juxta placitum eorum) fides primæva incorrupta permanxit, & ab ea Ecclesia universa non defecit; ut saltem illi fidem faciant apud contrastantes, quos ipsimet contrastantes venerantur, ut Sanctos.

His accedunt statuta Principum id ipsum clare contestantia. Justinianus enim Imp. in constit. novell. 131. ait: *Decernimus secundum sacram Synodorum decreta Sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotum*; ubi bene advertendum est: Imperatorem non proprio marte, & ex certa scientia id decernere; sed id statuit secundum sacrarum Synodorum decreta, & declarationes perpetua traditione conservatas. Id ipsum alii testati sunt Imperatores, pietate, una ac zelo insignes. Lotharius siquidem in Epist. ad Adrianum. II. Anno. 868. dicit: *Quia Deus Omnipotens Princeps Pastorum in ita Sancta Sede vestri Pontificatus apicem sublimavit, vestrum multiplicititer desideramus conspectum.* Carolus Magnus l. 5. leg. Francic. cap. 167. habet: *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia NEMO PONTIFICE POTIOR, & in saculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur.* Ecce quam bene Rex jura spiritualis, & politicæ jurisdictionis distribuat. Leo Imp. Graecorum apud Ignatium Fiumi Lect. 5. clare edicit: *unde manet usque in hodiernum diem Petrus sequens Christum in suo Successore.* Quo nil clarius dici potest.

Et ne prolixius simus in re tam clara lectori (qui de hoc plura videre desiderat, ea inveniet in Liberii a Jesu parte. II. de Laicocephalia Anglica Disp. II. controv. III.) dicta pro nunc claudet Michael Palæologus Graecorum Imp. Anno. 1274. in Epist. ad Gregorium X. ubi ita scribit: *Sanctissimo, ac beatissimo Patri, & Summo Pontifici, Apostolica Sedis universalis Papa, & communis Principi Christianorum, omnium Venerabilis Patri Imperii nostri D. Gregorio, Michaël a Christo Deo fideliter Rex, & Imperator Graecorum.* Ex quibus omnibus sequitur: omnium sæculorum tam statutis Canonum, quam Regum, & pitissimorum Imperatorum nullum alium agnitus fuisse pro summo Pontifice, atque Petri successore, præ Romano, uno, ac solo Pontifice. Manet igitur utroque jure mutatus

nitus legitime in sua avita possessione; quidquid contra hoc oblatrent novissimis temporibus nati inimici genuinæ veritatis. Sed quid prodest irritus conatus eorum adversus sedem Sanctam? ipso etenim Christo testante: *nec porta inferi prævalebunt adversus eam;* Vana igitur adversus eam est sine viribus ira; *quoniam Cœlum, & terra transibunt,* verba autem mea non transibunt. Luke 21. v. 33. Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. v. 16. velut clare indicat Christus.

Nunc porro ad sensa Conciliorum eorum sæculorum transferamus rem, in quibus (juxta placita contrasentientium) Ecclesia, una, ac fides pura, & inviolata permanxit? & quæ illi una nobiscum pro legitimis Conciliis amplectuntur. Eorundem porro sensum, una ac judicium declarabit.

Argumentum N. III. referens prædictorum Conciliorum decisiones, una ac sentimenta. Concilia primorum sæculorum ab ipsis admissa Adversariis solum Romanum Pontificem clare testata sunt esse Caput universalis Ecclesiæ, Petrique Successorem, ergo. a. declaratur referendo testimonia Conciliorum ab ipsis contrasentientibus admissa. Illud etenim. I. Concilium Nicænum relatum a Chalcedonensi act. 16. dilucide profitetur his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum,* quo nil clarius desiderari potest.

II. Concilium generale in Epist. ad Damasum, quæ exstat apud Theodoretum lib. 5. c. 9. dicit: se convenisse apud urbem Constantinopolim ex mandato litterarum Pontificis per Imperatorem ad se missarum. Et ibidem fatetur, Romanam Ecclesiam Caput esse, se autem membra.

III. Concilium, ut est apud Evagrium lib. 1. hist. cap. 4. dicit: se deponere Nestorium ex mandato litterarum Cœlestini Papæ Romani. Et in epist. ad eundem Cœlestinum idem Concilium scribit: se causam Joannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat, quam causâ Nestorii, non fuisse ausum judicare, sed reservasse judicio ipsius Cœlestini; quæ omnia perspicue indicant supremam Romani Pontificis auctoritatem.

Concilium Chalcedonense act. 1. & 3. passim vocat Leonem: *universalis Ecclesia Pontificem.* Et in Epist. ad Leonem inquit. *Et post hec omnia insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est extendit insaniam, id est contratuam quoque Apostolicam Sanctitatem.* Hic patet maximum Concilium confiteri clare: Romano Pontifici a Deo ipso vineæ, id est, Ecclesiæ universalæ custodiam esse commissam.



Synodus Constantinopolitana, quæ ante quintam Synodum in causa Antimi congregata est act. 4. per Menam Patriarcham Concilii Præsidem ita loquitur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & ei obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.* Jam ergo si totum Concilium sedi Apostolica obedire se profitetur, certe Apostolica sedes toti Ecclesiæ cum autoritate præstet.

Septima Synodus act. 2. recipit, & probat Epistolam Adriani ad Tharassium, in qua hæc habentur: *Cujus (inquit) sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit. Unde & ipse B. Petrus apostolus Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique Principatum obtinuit & obtinet.* Nota, in præsenti dici: *Primum obtinens lucet; & Caput existit &c.*

Possent quidem, & pleraque posteriora Concilia in medium proferi, pro stabilienda Catholica veritate; verum quoniam hæretici ea parvi pendunt, utpote decisa Ecclesiæ jam deficientis, juxta placitum eorum; hinc ea prætermittere placuit, ut eo fortius condemnati maneant suo proprio judicio; quoniam & ipsi in veram Ecclesiam, una ac horum sæculorum Concilia compromiserunt; compromittere itaque necessitantur in dicta, & statuta Conciliorum: sæculorum eorum, in quibus fides integra, & inviolata, & primæva fuit; Seçus enim his sæculis fidem veram admittere, & Concilia legitima; & eorum decisa tanquam erronea respuere, est fidem veram ab ipsis admissam admittere, & non admittere. Quodsi igitur statuta prædicta Conciliorum admittunt, uti vere necessitantur; proprio ipso rum judicio condemnati manent; & veritas Catholica ipsis testibus triumphum canere necessitatatur.

Nunc porro ad Patrum horum sæculorum (in quibus juxta citatos testes fides mansit incorrupta) dicta, & testimonia digrediamur, ne ulla desit legalitas ad veritatem Chatholicam comprobandam. Patres Primorum sæculorum unanimi consensi docent Romanos Pontifices esse Petri Successores, ergo. a. testantur Patrum tam Græcorum, quam Latinorum testimonia. Optatus siquidem Milevitanus l.2. contra Parmenianum hæc habet: *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Ancletus &c. S. P. Augustinus Epist. 165. ad Generosum: Si ordo Episcoporum sibi succendentium considerandus est, quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesia figuram gerenti Dominus ait: supra hanc Petram*

Petram adificabo Ecclesiam meam: Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus &c. Philippus Presbyter in Concilio Ephesino c. 16. hæc dixit: Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, Sanctum Petrum Apostolorum Principem, & Caput, Ecclesie Catholice fundamentum, per successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere semperque victurum esse. Hujus itaque successor Papa Celestinus nos ad hanc Synodum misit. Idem testatur S. Ignatius in Epist. ad Rom. sic scribens: Ignatius Ecclesia sanctificate que presidet in Regione Romanorum. Cur quæso, dicitur Ecclesia præsidens? nisi quia Caput est omnium aliarum.

Concludat igitur quæstionem, una ac condemnet contrasentientes scriptor antiquissimus, una ac Sanctissimus B. Irenæus, qui lib. 3. cap. 3. ita inquit adversus omnes contrarium sentientes: Maxima, & antiquissima, & omnibus cognita; a gloriissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Roma fundata, & constituta Ecclesie, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam omnibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem ad nos, indicantes confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorum principalitatem, necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, qua ab Apostolis est traditio. Notent bene illud: Necesse est - . & illud - - Omne convenire Ecclesiam - - una ac illud: Propter potentiorum principalitatem, in qua semper ab omnibus conservata est Apostolica traditio - - Nam Irenæus probat, posse nos confundere omnes hæreticos ex doctrina Romanæ Ecclesie, quia necesse est ad hanc Ecclesiam omnes convenire, & ab ipsa, tanquam a Capite, & fonte pendere; & proinde necesse est ejus doctrinam esse Apostolicam, & veram. Quod autem necessarium sit omnibus Christianis pendere a Romana Ecclesia probat: Primo: a priori, quia datus est huic Ecclesie principatus. Secundo: a posteriori, quia hæc tenus semper omnes conservarunt fidem in hac Ecclesia, id est: in unione, & adhæsione ad hanc Ecclesiam, ut ad Caput, & Matrem. Plura testimonia Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui videre desiderat, ea in magno numero apud Belarminum lib. 2. cap. 15. & 16. de Romnno Pontifice reperiet.



Posset eadem veritas insuper comprobari ex titulis tum Conciliorum, tum Patrum, quos Romano tribuant Pontifici; is siquidem: *Caput universalis Ecclesie* nuncupatur in epist. Paschasini Episcopi, & aliorum de damnatione Dioscori Tom. 2. Concil. infine Concilii Chalcedonensis *Papa universalis Ecclesie* vocatur ab Athanasio, & Episcopis Aegypti, in epist. ad Marcum Papam. *Pastor, & Custos ovis Christi* dicitur ab Ambrosio, Basiano, & ceteris Episcopis in epist. ad Siricium Papam, quæ est epist. 81. inter epistolam Ambrosii. Ac denique nuncupatur: *Summus Pontifex, summus Papa, Summus Sacerdos, Princeps Sacerdotum, summus omnium Presulum Pontifex*; Quos titulos illi tribuunt: Bernardus in suis epistolis ad Romanos Pontifices; Hieronymus in præfat. Evangeliorum ad Damasum; sexta Synodus act. 18. in serm. acclamatorio; Valentinus in epist. ad Theodosium, quæ habetur Tom. 1. Concil. Et Stephanus Archi-Episcopus Carthaginensis in Epist. ad Damasum Papam, quam scripsit nomine trium Conciliorum Africae; in qua sic legitur: *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato Damaso Pape, & summo omnium Presulum Pontifici.* Verum quid juvat cæcis, aut voluntarie oculos claudentibus etiam ipsum solem meridianum ante nasum ponere, qui lucem veritatis dum eis clare proponitur videre recusant, sed ad eam amplectendam, vere: *oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient; narres habent, & non adorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo,* velut vaticinatus est de similibus Idolis Psaltes Psal. 113. Cum certe hic contra veritatem testium omni exceptione majorum nil aliud opponere possint, quam se oculos habere, & non videre, aures habere, & non audire. Verum id unicum omnium perversæ mentis hominum principium est; ast similes cæcos, & surdos necesse est fieri: *omnes qui confidunt in eis,* velut idem Psalmus de cæcis, & surdis Idolis vaticinatus est.

Absolutis documentis tum Conciliorum, tum Patrum Sanctissimorum, & honestissimorum virorum rem concludet Catholicam, una, ac demonstrabit:

Argumentum pro N. IV. ex jure præscriptionis immemorialis petitum. Ad omnem præscriptionem justam requiritur: I. Res apta præscribi. II. Fides bona. III. Titulus justus, & a lege non prohibitus. IV. Tempus possessionis a lege præscriptum; Sed Romanus Pontifex omnes hos titulos legis juste comprehendit, in obtinendo jure spirituali Ecclesiastico,



astico , & supremo regimine Ecclesiae universæ ; ergo Pontifex Romanus justo titulo præscriptionis gaudet in supremo regimine , & dignitate universalis Ecclesiae . M. ultotenus tam a Civilistis , quam a Canonistis non tam admittitur , quam præscribitur ad possessionem justam , jure obtinendam ; nam utrumque jus unanimiter docet , vel una conditione non subsistente , præscriptionis jus non valere , possessoremque præscribere attentantem , fore malæ fidei , qui juxta jura tam Civilia , quam Canonica nunquam præscribit , nec in uno , nec in altero foro . m. p. quoad singula ; ac præprimis quoad I. *si res apta prescribi.* Ecclesiaz conservatio perpetua in unitate fidei exigit unum supremum tribunal , & unum supremum Gubernatorem , ad quem in dubiis fidei sideles recurrere possint , ne æternam incurvant damnationem ; ergo supremum gubernium universæ Ecclesiae per unum supremum Pontificem est res apta præscribi , cum id Ecclesiaz bonum exigat . II. Illa est res apta præscribi , quæ imitatur exemplum , una ac institutionem ipsius Christi Ecclesiam quondam visibiliter gubernantis , & Ecclesiaz Institutoris ; atqui regimen Ecclesiaz per unum supremum Pontificem imitatur tam exemplum Christi quondam Ecclesiam visibiliter gubernantis , quam post se relictam in Petro institutionem ; ergo gubernatio universalis Ecclesiae per unum supremum Pontificem est res apta præscribi .

Quoad II. nempe : *Fides bona.* Romanus Pontifex supremam in universali Ecclesia dignitatem bona fide possidet , ergo justum titulum , & legitimum præscribendi habet . a. p. Hæc bona fides ejus fundatur in institutione Christi perpetuum regimen , & invariabilem regendi formam in Ecclesia ad exemplum suum instituentis ; fundatur in successione legitima in cathedram Petri , in quo a Christo Ecclesia ædificata est , duratura usque ad consummationem sæculi ; fundatur in testimoniis Conciliorum , & Patrum tum Græcorum , tum Latinorum unanimi , primorum , & posteriorum sæculorum ; fundatur denique in legitimo jure successionis , ab universalia Ecclesia Catholica semper agnitus ; ergo Romanus Pontifex supremam in Ecclesia universalia dignitatem bona fide possidet ; consequenter & hunc justum titulum præscribendi habet .

Quoad III. nempe : *titulus justus* ; id evincitur : Romanus Pontifex dignitatem suam in Ecclesia supremam justo titulo obtinet , ergo . a. declaratur : Romanus Pontifex hanc dignitatem possidet titulo institutionis Christi , unum supremum Caput Ecclesiaz loco sui instituentis per verba : *Pasce oves meas* ; & titulo successionis in munus , & officium , una ac digni-



dignitatem S. Petri, cui aliquem succedere necesse fuit, ne Ecclesiam ob variationem in posteris saeculis gubernationis, & regiminis modum, substantialiter mutatam admittere fit necesse, absque omni fundamento; at qui omnia jura, Concilia, Patresque omnes eorum saeculorum, in quibus iuxta edita Lutheri, & Calvini Ecclesia non defecit universa, sed man- sit in primae Christi institutione, nullum alium agnoscunt Petri successorem, nisi solum, & unicum Romanum Pontificem, velut sat ante monstratum est; & probant Orthodoxi viri omnium saeculorum, recte, & sine pertinacia de rebus fidei sentientes; ergo Romanus Pontifex justo titulo possidet supremam in Ecclesia dignitatem.

Nunc quoad IV. quod videlicet tempus a lege prescriptum servaverit semper Romanus Pontifex, demonstratur: Romanus Pontifex a morte Petri perpetua successione tenet, & tenuit hanc in Ecclesia universa dignitatem; velut series Romanorum Pontificum clare testificatur; ergo possidet eam vere, a lege tempore prescripto, utpote iam nunc 1762. annis; sed nullus totius orbis nunc Monarcha, aut familia suas ditiones iuste possidens tantum tempus possessionis adducere potest; ergo si ceteri orbis Monarchæ iuste possessionem suam tempore a lege prescripto se possidere tueri possunt (non obstante, quod nullus tam longum tempus assignare possit) a fortiori Pontifex per tam immemoriale tempus possidens dignitatem a Christo institutam in Petro, velut ejusdem Petri successor, se possidere eam iuste gloriari potest; per consequens solus Romanus Pontifex a morte Petri perpetua successione tenet, & tenuit hanc in Ecclesia universa dignitatem; proindeque justissimo titulo prescriptionis manet successor legitimus Petri, supremumque Caput post Petrum loco Christi, universæ Catholicæ Ecclesiæ. Quod insuper probant tot appellations, & recursus ex toto orbe, quæ semper factæ fuerunt ad Romanum Pontificem, tanquam supremum Ecclesiæ Judicem. Tot, & tanta insuper leges latæ, & ab universa Ecclesia acceptataæ, tina ac sanctissime custoditaæ. Tot pœnæ ipso facto latæ tum in Episcopos, tum in Reges, & Imperatores, per quas inobedientes ad gremium ovilis Domini reducti sunt, atque ad obedientiam Supremo Ecclesiæ Pastori loco Christi in terris præstandum. Quæ omnia fuse, lateque alii demonstrant, adeo: ut vere superfluum foret, hic ea omnia rursus ab aliis fuse proposita in medium adducere.

§. IV.

Contra Primam Resolutionem addversæ partis argu-
menta solvuntur.

ARgumentum. I. Non soli Petro Christus Matth. 16. promisit Claves Regni Cœlorum, ergo solus Petrus ex eo non fuit a Christo constitutus supremum Caput Ecclesiæ. a. p. Illi Christus promisit Claves Regni Cœlorum, qui Divinitatem Filii est confessus: *Tu es Filius Dei vivi*, sed Petrus nomine omnium confessus est Divinitatem Filii, ergo per hoc omnibus Christus promisit Claves Regni Cœlorum; per consequens non soli Petro. m. declaratur: Interrogatio etenim, & responsio casu consenserunt; sed omnes Apostoli interrogati fuerunt: *vos autem, quem me esse dicitis?* ergo omnium fuit responsio. B. n. a. ad prob. c. M. minor præterquam, quod in quæstione præliminari sit sufficierter refutata, prouinc ex superabundanti trans. quia tametsi Petrus nomine omnium respondisset, habetur nihilominus intentum; quia vel enim nomine omnium respondit, quia Caput omnium fuit, vel quia id ei ab aliis fuit demandatum? si primum: stat veritas intenta, manetque Petrus Caput aliorum; alterum vero ipse refutat Christus: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus;* ubi clare nihil ab homine, sed tantum a Patre Petrum id hauiisse Christus significat; ergo Petrus non omnium nomine respondit, aliorum nempe sensa referens, sed ea, quæ a Patre Cœlesti didicit. Unde quando Petrus nomine omnium locutus est ad interrogationem omnibus factam, id ex responsione communi alibi patet; velut constat Ioan. 6. v. 68. ubi interrogatis discipulis a Christo: *nunquid & vos vultis abire?* communi, & non singulari responsione Petrus respondet: *Domine, ad quem ibimus? verba vita atera habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei;* Sed hic, ubi Petrus dicit: *Tu es Filius Dei vivi*, non communi, sed singulari utitur responsione, ergo perperam omnium nomine respondisse censendus est. Unde quamvis omnes Apostoli interrogati fuerint, uni tamen tantum Pater Cœlestis id revelavit, uni Christus tantum dixit: *Tu es Petrus;* ergo uni tantum etiam Primum promisit.

Dices: Petrus cum confessus est Christi divinitatem, nondum fuit Caput aliorum a Christo constitutus, sed primo post hanc confessionem,

quando ei Christus promisiit claves Regni Ccelorum , & potestatem ligandi , atque solvendi ; ergo sustineri non potest Petrum locutum fuisse velut Caput cæterorum , quos Christus interrogavit , cum Petrus Caput cæterorum a Christo nondum constitutus fuit . R. Quod quamvis pro tunc cum confessus est Christi Divinitatem , nondum Petrus coram aliis declaratus fuerit a Christo Caput futurum Ecclesiæ ; fuit tamen tunc jam intentus , determinatus , & a Patre interne declaratus per revelationem ei soli factam , qua significabat : quod sicut primum fundamentum post Christum Petrus est futurum fidei , & Ecclesiæ , ita eidem fundamento primam notitiam post Christum Pater communicare voluit de Divinitate Filii , quam postea solus coram aliis confessus est . Unde tametsi tunc Petrus tanquam Caput declaratus non fuerit coram aliis , sed primo post confessionem Divinitatis Filii DEI factam ; nihilominus ante hanc confessionem Petrus constitutus fuit Caput Ecclesiæ per internam revelationem sibi a Patre communicatam .

Instabis : si Petrus nomine omnium non fuisset confessus Christi Divinitatem , Christus non dixisset omnibus , ne ipsam aliis manifestarent ; sed : *tunc precepit Discipulis suis* , ut nemini dicerent , quia ipse esset *Iesus Christus* , ergo signum est Petrum nomine omnium fuisse confessum Divinitatem Christi . R. Sine omni prorsus fundamento somniant contrasentientes , indictum a Christo silentium ob communem Divinitatis confessionem a Petro factam . Nunquid enim Divinitas Christi ex peculiari Petri confessione ab ipso Christo laudata Discipulis innotuit ? cur igitur volens gentibus mysteria fidei occultare , ipsis discipulis præcipere non potuit , ne auditæ revelarent ? ex qua igitur quæso , causa contrasentientes Petri confessionem facere volunt communem , quam tamen Pater Cœlestis per suam revelationem fecit singularem ? nil igitur lucri ex hoc sequi potest agnitam veritatem impugnantibus .

Urgebis : Juxta effatum Christi Marci 13. v. 37. traditum : *quod autem vobis dico , omnibus dico* ; ergo quæ Christus uni Apostolo dixit , omnibus dixit , atqui uni dixit : *tibi dabo claves* , ergo omnibus id dixit , per consequens & Petri confessio , erat quoque omnium . R. Si ex verbis Christi citatis evincere volunt contrasentientes , id quod uni Christus unquam dixit , id omnibus dicta esse , facile , & nobis evincere licebit dicta Christi uni alibi (veluti : *unus ex vobis Diabolus est ; Amice , osculo filium hominis tradis ? vade retro Satana ; Mitte digitos tuos in loca clavorum ; & alia innumera*) omnibus dicta esse . Verum quis

quis unquam talia sanæ mentis affirmare præsumet? igitur textus ex Marco adductus non est ad rem. Christus enim apud Marcum loquitur determinate de doctrina diei judicii, & de sollicitudine, quam habere debemus omnes, ut pro adventu Domini judicantis simus parati; ideoque dixit v. 33. *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit,* & rursus v. 35. *vigilate ergo.* Post quæ concludit v. 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Cæterum ex Christi dicto nullibi habemus: quod uni, vel vobis trado, omnibus trado; secus omnes non tantum Apostoli, sed una fideles haberent claves Regni Cœlorum; ergo claves, quas Christus Petro dedit, non omnibus dedit.

Replicabis: Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus in hunc locum, & S. P. Augustinus serm. 13. de verbis Domini, affirmant: Petrum fore omnium nomine locutum, ergo & retributio ipsi facta, ad omnes extenditur. R. Patres ipsi citati solutionem innuunt argumenti; Petrum videlicet, nomine omnium locutum quidem fuisse, sed tanquam OS, & CAPUT Apostolorum, velut cit. loco tradit Chrysostomus; quod & nos ultotenus una cum ipsis supra admisisimus; cum ex eo ipso clare id sequatur, quod inquitimus. Id etenim clare Cyrillus lib. 12. in Joan. c. 64. docet: *Ut Princeps, caputque ceterorum primus exclamat: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et sic omnes Patres sumendi erunt, qui de hoc tex- tu sentiunt similiter, sed eo ipso una nobiscum clare consentiunt.

Oppones: Christus Petro non contulit claves, nisi quatenus figura Ecclesiæ fuit, ergo magis eas contulit Ecclesiæ, quam Petro. a. p. si Christus Petro tanquam Capiti, & singulari personæ claves contulisset, non eum post commendationem a se repulisset, sicuti enim Ecclesiam a se semel fundatam non repellit, ita quoque Caput ejusdem; sed Petrum Christus immediate repulit v. 23. *vade post me Satana;* ergo non contulit Christus Petro claves, nisi quatenus fuit pura figura Ecclesiæ. R. d a. Christus Petro non contulit claves, nisi quatenus fuit figura Ecclesiæ vera, realis, & fundamentalis a Christo sui loco constituta c. a. Imperfecta so- lum, & repræsentativa velut erat Synagoga n. a. & c. Ad prob. dico: Christum non a se repulisse Petrum, eum abjiciendo, & removendo ab Ecclesia, cum is non defecerit in fide, aut charitate; sed repulit eum a se corripiendo, & instruendo. Petrus etenim non percipiens adhuc per- fecte Divina mysteria, ex affectu in Christum, cupiebat eundem à mor- te, quam Christus prædictit, retrahare; ideoque Christus eundem corri- puit, & corripiendo instruxit, sed propterea non abjecit. Porro hæc

duo in eadem persona non sunt incompatibilia : quod ex munere DEI habeat , unde laudetur , & præmium mereatur , & infirmitate propria , unde corripiatur , & instruatur ad hoc ut emendetur. Nec etiam quenquam offendere debet verbum *Satana* , quia non semper significat ipsum Diabolum , sed quandoque adversantem sibi , velut ex quotidiano usu hominum DEUM timentium clarere potest , in quo etiam sensu Christus Petrum nominavit : *Satana*.

Premes : Qui claves obtinet Ecclesiæ , debet sapere , quæ DEI sunt , permanenter , cum claves fidei doctrinam contineant , adversus quam nec portæ inseri prævalitæ sunt ; sed Petrus non sapuit permanenter , quæ DEI sunt , quoniam ipse Christus id Petro dixit : *quia non sapis ea , quæ DEI sunt* ; & sane idem Petrus paulo post ter Dominum negavit ; ergo Petrus non accepit claves in persona sua , sed tanquam persona Ecclesiam repræsentans ; per consequens magis sunt datae claves Ecclesiæ , quam Petro. R. c. M. intellectam de iis , quæ DEI sunt , quoad infallibilitatem doctrinæ fidei , & morum ; & n. m. Petrus enim constitutus Caput Ecclesiæ permanenter , & in se , & in suis successoribus habuit privilegium infallibilitatis in doctrina fidei , & morum ; quoniam pro eo solo specia-liter Christus rogavit : ut non deficeret fides ejus. Nec obstat Christi reprehensio ; *quia non sapis ea , quæ Dei sunt* ; siquidem in hoc in quo reprehenditur , non fuit ignorantia circa essentialia ad munus Capitis Ecclesiæ spectantia , sed solum circa particularia spectantia ad mortem Christi , a qua ipsum Petrus avertere conabatur ; ideoque a Christo reprehenditur : quod non sapiat ea , quæ DEI sunt. Neque etiam quidquam officit trina Petri negatio , siquidem per hoc Petrus nihil docuit contra fidem , sed ex metu tormentorum solum exterius fidem negavit , fidemque interius non amisit , quoniam lacrymis culpam admissam in exteriori negatione Christi statim deflevit. Demum tametsi Christus tunc claves Petro promiserit , non tamen eidem eas tunc tradidit , sed primo post Resurrectionem , cum munus Redemptoris per mortem complevit , & ad Cœlum ascensurus Vicarium in terris Petrum reliquit ; defecit igitur Petrus , quando claves illi promissæ , sed non tunc , quando actu concredi-tæ erant.

Insistes : Christus omnes Apostolos eodem modo allocutus est Matth. 18. v. 18. *Quocunque alligaveritis super terram , erunt ligata & in Cælo , & quacunque solveritis super terram , erunt soluta & in Cælo* ; sicut allocutus est Petrum Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram ,*

* * *

terram, erit ligatum & in Cœlis &c. cum ipsi termini utrobique nequam discriminentur; ergo omnes Apostoli æqualiter acceperunt Claves Regni Cœlorum, sicut Petrus; ex quo igitur capite Petrus manet unicum Caput Ecclesie, obtainens solus Claves Regni Cœlorum, potestatemque ligandi, & solvendi, eam nempe, æque cæteris Apostolis a Christo traditam; velut Petro. *B.* Hoc argumentum fuse solutum reperitur in quæstione Præliminari; verum ut effugium illud præcludatur totaliter, placet discriminem adferre, quod inter Petrum, & cæteros intercedit Apostolos. Igitur promissio Petro facta utpote universalis, & irrestricta eam longe antecellit; qnam Christus fecit cæteris Apostolis, utpote ex subjecta materia discursus Christi restricta ad correctionem fraternalm, remittenda, & retinenda peccata. Siquidem in promissione facta Petro tria includuntur. Primum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam:* aliud: *Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum:* demum: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Duo priora nullibi a Christo fure re cæteris promissa Apostolis, vel data, sed soli Petro. Posterius vero aliis quidem commune fuit, sed ea potestatis coarctatione, quam affabre deprehendit Origenes Tract. 6. in Matth. *Quoniam oportebat aliquid magis habere Petrum pre illis, qui iter arguerant, ideo illi quidem sic dixit: & tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* Non ergo modica differentia est, quod Petro quidem date sunt Claves non unius Cœli, sed multorum Cœlorum, ut quæcumque ligaverit super terram, sint ligata non tantum in uno Cœlo, sed in omnibus Cœlis, & que solverit super terram, sint soluta non solum in uno, sed in omnibus Cœlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra sic dicit, ut solvant & alligent non in Cœlis, sicut Petrus, sed in uno Cœlo; quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus. Unde quamvis reapse, & in proprietate sit unicum Cœlum, in quo fit remissio, plurali tamen significatione exprimitur, ut ampliorem intelligamus vim fore solutivam, & ligativam in Petro, quam in aliis.

Argumentum. II. Universalis Ecclesia coalescit ex agnis, & hædis, ex hircis, & ovibus; ex grano, & palea; sed Petro hæc omnia a Christo commendata non erant, ergo Christus Petro universam non commendavit Ecclesiam. M. s̄pē in Evangelio habetur probata similitudinibus his a Christo ad designandam Ecclesiam suam assumptis. m. p. Solæ oves, non

vero hædi: Petro commendata sunt, etenim dictum est ei; *pascere oves meas*; Oves porro soli sunt electi; juxta illud Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis;* ergo Petro hæc omnia a Christo commendata non erant. *B. c. M. n. m. ad prob. n. a.* quod si subsisteret, probaret nec Christum universæ Ecclesiæ Pastorem fuisse; nam ibidem Christus fatetur se unum solummodo habere ovile ex ovibus conflatum; ovile autem unum, & bonas, & malas oves habet; unde inibi non electi solum, sed una & reprobri comprehenduntur. Petro enim mandavit Christus pascere agnos, & oves suas; quibus indicatur, omnes Petro commendatas oves esse, pro quibus Christus Pastor dedit animam suam, sed hanc dedit pro reprobis, & electis; ergo utrasque comprehendit, & vult ut Petrus eas pascat similiter, & det pro iis etiam animam suam; nam id clare habetur Joan. 21. ubi postquam ei Jefus commendasset oves suas, prædictus ei persecutionem, & post v. 19- *Hoc autem dixit, significans, qua morte clariscaturus esset Deum.* Et cum hoc dixisset, dicit ei sequere me.

Resumes: Universalis Ecclesiæ cura commissa fuit etiam aliis Pastori-bus; ergo ex eo quod Petro dictum sit: *pascere oves meas*, non infertur eum solum, & unicum manere Pastorem universalis Ecclesiæ. a. p. Christus non solum Petrum Ecclesiæ dedit Pastorem, sed una plures alios, ergo. a. tradit Apostolus ad Ephes. 4. v. II. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi;* ubi Apostolus clare nominat *Pastores* datos a Christo in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, ergo Christus non solum Petrum dedit Ecclesiæ Pastorem, sed una plures alios. *B. d. a.* universalis Ecclesiæ cura commissa fuit etiam aliis, ita, ut quisque per regimen suæ particularis Ecclesiæ ad conservationem totius cooperetur c. a. ita, ut quisque in solidum tanquam Caput Ecclesiam gubernet universam n. a. & c. ad prob. d. a. etiam alii instituti sunt a Christo Pastores pro Ecclesiis particularibus, quas instituere debent suis doctrinis, & exhortationibus; velut Jacobus Hierosolymitanus, Joannes Ephensinam, Mathæus Æthyopicam Andreas Scythicam &c. c. a. sunt instituti etiam Pastores Ecclesiæ universalis, tanquam fundamentum post Christum unicum, super quod tota est a Christo edificata Ecclesia dicente: *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam* n. a. & c. Etenim super

super nullum alium Christus adificavit Ecclesiam universam, quam ipse fundavit, quam super Petrum, cui soli Christus id promisit; nam cum Christus non restrigat, qualem Ecclesiam, sed universaliter dicit *meam*, sequitur Petro commissam esse Ecclesiam universam; cum terminus *meam*, pro ea supponat Ecclesia, quam Christus adificaturum se promisit, & cuius ipse Caput principale fuit; sed Christus universam fundavit Ecclesiam, universæ Caput principale fuit, & hactenus est; ergo universæ Petrum sui loco Pastorem præfecit; cum inclusione tametsi aliorum Apostolorum sibi subordinatorum Pastorum, non tamen cum pari eorundem pacendi potestate; quoniam id eis nullib[us] specialiter contulit, velut Petro; ergo manet solus Petrus Pastor Ecclesie universalis a Christo constitutus, qui per subordinatos Pastores regit una omnes particulares Ecclesias, quoniam illæ omnes simul sumptæ sunt una Ecclesia Christi, tanquam Capitis Ecclesie principalis. Ad textum Apostoli dico: quod ille loquatur de Pastoribus subordinatis tam Apostolis, quam maxime Petro, nam ipsis præponit: Evangelistas, Prophetas, Apostolos, quod & nos sponte admittimus; non enim evincere cupimus: Petrum solum, & unicum esse Postorem Ecclesie excludendo omnes inferiores, & subordinatos Pastores, sed solum contendimus, Petrum solum primum post Christum fuisse Ecclesie summum Pastorem, excludendo in pascenda Ecclesia universa in potestate pares. Nam id textus ipse insinuat; loquitur enim de Pastoribus, & Doctoribus; non iis, qui simpliciter præsunt, sed quos dedit *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii*; ergo loquitur de iis Pastoribus, qui tanquam ministri dati sunt Ecclesie *in adificationem corporis Christi*; quod non est contra nos.

Urget Calvinus lib. 4. instit. c. 6. n. 3. Petrus hortatur Compresbyteros suos; ut pescant gregem Dei; 1. Pet. 5. igitur vel illa verba: *pascere meas dicta sunt omnibus*, vel certe Petrus ius suum in alios transtulit. 3. Petrum hortari Compresbyteros ut pescant gregem, non universalem, sed particularem sibi commissum; ait enim: *pascite gregem* non absolute omnem, sed: *qui in vobis est*. Quemadmodum & Paulus cum Act. 20. hortatur Asianos Episcopos, ut attendant sibi, & universo gregi, statim adjungit: *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*; id est, non universo simpliciter, sed tantum universo illi gregi, qui vobis commendatus est. Itaque ista verba Petri non prohibent, quin soli Petro sit commissa potestas generalis totum gregem Christi pascendi, & quin ipse ius suum plenarium in neminem transtulerit.

Prēmes ex P̄tribus: S. P. Augustinus lib. de agon. Christi. c. 30. ita docet: *Cum ei (Petro) dicitur, omnibus dicitur: amas me? pascē oves meas.* Item Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. persuasurus Basilio, ut Episcopatum, ad quem vocabatur, susciperet, hunc locum allegat, atque ait: *Tum ostensurum Basiliū eximiam suam dilectionem in Christū, si pascat eū gregem, cum scriptum sit; si aſligis me, pascē oves meas.* Ergo juxta S. P. Augustinum, & Chrysostomum, hæ voces; *pascē oves meas*, non ad solum Petrum, sed ad omnes Episcopos, una ac Apostolos pertinent, per consequens juxta ipsos Patres nil peculiare pro Petro in hoc evinci potest. R. tametsi hæc verba proprie, & principaliter ad ipsum Petrum pertineant, utpote ei ſoli a Christo dicta, omnibus tamen Episcopis quodammodo accommodari poſſunt; quia videlicet omnes, qui in partem ſollicitudinis a Petro vocantur, Petri formam in pascendo grege imitari debent. Itaque, quod ſummo Pastorū dicitur, id etiam ſuo modo, & ſervata proportione, aliis minoribus Pastoribus dicitur. Unde in hoc Petrus eis pro exemplo, & imitatione proponitur, ut quemadmodum ille universum gregem pascendum habet a Domino, ita & ſimiliter ad exemplum ipſius alii ſuum pafcant gregem. Atque idcirco Dominus fucturus Petrum Pastorem Ecclesiæ, interrogavit eum, an diligerit plus ceteris? ut eo ipſo admonerentur it, ad quos pertinet eligere, & conſtituere Pastores, ut eos nempe eligant Pastores, qui charitate ceteris excellunt. Atque hoc pertinet illud Leonis ſerm. 3. de annivers. ſuę assumpt.: *Ideo Petro hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma preponitur.*

Argumentum. III. ex comparatione Petri, & Pauli desumptum. Tam bene Paulus ſicut Petrus vocatur Princeps Apostolorum, ergo non ſolus Petrus eſt Princeps, & Caput Ecclesiæ a Christo conſtitutus. R. Certum eſſe Paulum conſtitutum non fuſſe, aut Apostolum, aut Pastorem Ecclesiæ a Christo, dum iſ in terris ſalutem nostram operatus eſt, & Eccleſiam ſuam inſtituit, Rectoremque post ſe nominavit; ſed primo post ascensionem collatus ei fuſit Apostolatus, cum pergens Damascum voce Divina vocatus ad Christi fidem, fuſit conversus; velut ex Actibus Apostolorum clarum fit. Unde quando Paulus vocatur una cum Petro Princeps Apostolorum, vocatur non ſibi collata jurisdictione, ſed ſolum honore, & labore Princeps, quia ſupra omnes alios laboravit ut plurimum inter gentes pro Christi fide dilatanda; ob quod Ecclesia eum tanquam ſupra omnes alios excellentem in laboribus, & promovenda doctrina Christi, tam excellenti titulo hono- rat;

rat; non tamen fuit jurisdictione Princeps universæ Ecclesiæ velut Petrus, cum Ecclesia universa a Christo ei commissa non fuerit, velut Petro.

Dices: Paulus ad Galat. 2. in faciem restit Petro; unde Calvinus lib. 4. instit. c. 6. n. 7. ait: *Petrus a Paulo fuit correptus, & paruit; ergo palam sit fuisse aequalitatem inter Petrum, & Paulum,* Et Ambrosius in hunc locum: *Quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claves Regni Cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alias talis, fiducia electionis sue sciens se non imparem* -- ergo Paulus non honore duntaxat, sed & una jurisdictione fuit Princeps, & æqualis Petro. ¶ Argumentum (quod hæretici magni faciunt, ut Ecclesiam si non acephalam, saltem bicipitem, & monstrosam faciant) nil ipsis prorsus prodesse; nam si parem volunt statuere ex hac correctione Petrum, & Paulum, nil statuunt, quia par in parem nullam potestatem habet, unde ipsum corrigere posset, ergo ex hac correctione non arguitur æqualitas. Et nunquid enim Gen. 29. Jacob Labanum; Exodii 18. Jetro Moysen; 1. Reg. 19. Joab Davidem corripuerunt; absque eo tamen: quod Jacob Labano, Jetro Moysi, Jonathas Sauli, Joab Davidi æquales fuerint. Quidni & Paulus ex zelo justo ad avertendum scandalum corriperi potuit Petrum, velut inferior Superiorum, subordinatus Principem in eo, in quo reprehensibilis erat? Unde ex hoc momento perperam magnificant Adversarii æqualitatem Pauli cum Petro; quia justa causa occurrente fas est interiori corripere Superiorum, & quidem etiam publice, si scandali subversetur periculum, velut docet S. Th. 22. qu. 33. art. 4. ad. 2. his verbis: *Unde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem Petrum publice arguit.* -- Imo ex hac correctione Petri declaratur Primitus; nam Patres ex hoc inferunt in Superioribus humilitatis exemplum, atque in inferioribus zelum pro publico tuendo bono. Ita enim S. P. Augustinus epist. 19 inquit: *Exemplum posteris præbuit, quo non deginarentur -- etiam a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna charitate resistere.* Et Gregorius hom. 18. in Ezechiel: *Ecce a minore suo Petrus reprobenditur, & reprobandi non deginatur.* Nec nomen est Abrosii auctoritas: nam Petrum, & Paulum pares dixit, non in administratione regiminis, sed in meritis Apostolatus, velut exponit S. Thomas cap. 2. ad Galat. Lect. 2.

Instabis: Paulus ad Galatas ipsem et insinuat æqualitatem jurisdictionis cum

Petro, ergo, a. habetur c. 2. v. 7. *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petrocircumcisio[n]is;* ergo Paulus habuit æqualitatem jurisdictionis cum Petro. B. n. a. ad prob. dico: quod Paulus loquatur de munere Apostolus, id enim satis indicant verba immediate sequentia[es]. 8. *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est, & mibi inter gentes.* Unde si quam concludit æqualitatem, est solius Apostolici munera, in quo omnes Apostolos veneramus æquales. Unde ut hoc argumentum vim haberet, deberet supponere: Petro non esse datum prædicare gentibus, & Paulo iudæis; hoc autem perperam assereretur; sæpe enim numero habemus iudæis prædicantem etiam in Synagoga Act. 23. 14. 17. 18. 19. 28. Et Petrum legimus gentiles lapitzantem Act 10. ipsique revelatio facta est tribus vicibus de adeunda prædicatione gentium. Et cap. 15. in Concilio aperte fatetur, statutum esse a Deo, gentes audire verbum per os ejus. Igitur divisio illa est per accommodam distributionem, scilicet: sub initio prædicationis principaliter mandatum est Petro Evangelium circumcisionis, Paulo præputii, quia per primum Apostolorum primum erat prædicandum iudæis, tanquam electo populo, cui etiam primo ipse Christus annuntiavit, dein gentibus non per solum Paulum, sed & cæteros Apostolos, quibus dictum est: euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

Insistes: Qui sollicitudinem gerit omnium Ecclesiarum, est Caput, & Pastor universalis Ecclesiæ, sed Paulus ipse. 3. ad Corinth. 11. v. 28. ait: *Instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum,* ergo fuit Caput, & Pastor universalis Ecclesiæ, sicut Petrus, B. d. M. Qui sollicitudinem gerit omnium Ecclesiarum gubernativam, & in sensu compleæ distributionis, est Caput, & Pastor universalis Ecclesiæ c. M. solum executivam per munus prædicationis, & annuntiationis Evangelii, & in sensu accommodæ distributionis n. M. & sic d. m. & n. c. Quam enim sollicitudinem Paulus gerebat, quilibet ex Apostolis potestatem gerendi habuit, quia munus Apostolatus jus tribuit prædicandi Evangelium omni creaturæ; licet ut citius Evangelium evulgaretur, inter ipsos facta fuerit Provinciarum discretio. Et sane argumentum auctorem ferit, quomodo enim plenitudo hæc potestatis universalis componetur cum illa partitione inter Petrum, & Paulum, de qua Paulus ad Galat. c. 2. v. 7. propositus ante sub argumendo: *In sib[is]:* ait? Potuit enim Aurelius Episcopus Carthaginensis in Concilio. I. Africano dicere: *Ego enim omnium Ecclesiarum, ut scitis Fratres, Dei dignitate sollicitudinem sustineo;* qui tamen solas Afri-

Africæ Ecclesiæ regebat. Potuit & in eodem sensu accommodo Paulus supra solas Græcia Ecclesiæ appellare; & revera cum hæc scripsit nondum Græcia exierat, teste Baronio ad annum Christi. 58. Ea propter velut ex contextu apparet, loquitur Paulus de prædicationis sollicitudine, quo in munere fuit aliis eminentior, & plus aliis laboravit; minus tamen juris, & potestatis habuit, quam Petrus. Petrus enim in Ecclesia Dei munus præstítit supremi Episcopi; Paulus supremi Concionatoris; ille tanquam Rex gubernacula dirigenſ, iste tanquam Minister generaliter exequens, velut Vicarius Generalis supremi in Ecclesia Dei Pastoris. Cæterum Paulus Pontificalia dignitate non fuit insimul cum Petro donatus; quia si donatus fuisset, Galatis id annuntiasset; cum alias, ut se ipsum expurget, & sibi auctoritatem conciliet in Sanctitate doctrinæ, de qua erat suspectus, tota Dei dona enarrat; verum solummodo excellentia Apostolatus munia describit affirmans: *Quantum ad auctoritatem testimonii Evangelici pertinet imparem se haberi non oportere.* Sic S. P. Augustinus in Præf. ad Galat. ait.

Premes: juxta fidem Catholicam, Urbis Romæ Episcopos est totius orbis summus Pastor, sed Paulus fuit urbis Romæ Episcopus, ergo totius fuit orbis Pastor; sed non fuit ante, vel post Petrum, ergo fuit simul cum eo. m. p. Ex Epiphanio Hæref. 27. *In Roma fuerunt primi, Petrus, & Paulus Apostoli, iidem ac Episcopi -- & infra Episcoporum in Roma successio banc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens &c. -- Leo in serm. 1. de SS. Petro, & Paulo: Ipsi sunt Patres tui, verique Pastores -- Romam alloquitur, ergo. Ix. Poffet quidem dici Petrum, & Paulum ambos fuisse Romæ Episcopos, unum ordinarium, alterum ejus coadjutorem, & Vicarium; verum quoniam hæc passim in libris trita sint, aliter respodere placet; unde breviter dico: certum esse Paulum Episcopum fuisse; cum etenim munus Episcopi sit Ecclesiæ Presbyteros præficere, id Paulus, & Barnabas etiam fecerunt; nam Act. 14. v. 22. legitur: *Et cum constituisserint illis persingulas Ecclesiæ Presbyteros.* Cæterum cujusnam Ecclesiæ determinate fuerit Paulus Episcopus, id incertum est. Vulgarior opinio fert, nullius determinata Ecclesiæ Episcopum fuisse. Hoc tradit Petrus Damiani Opusc. 35. c. 4. & consulto quidem; cum enim Paulus fuerit electus ut Minister huc, illucque discurrens, ad portandum nomen Jesu, nulli debuit sedi alligari; hinc est: quod nullam determinatam Provinciam ipsi legimus demandatam*

tam in divisione Orbis , velut de aliis habemus. Ut autem auctoritates citatae recte intelligantur , sciendum est , dupliciter hanc propositionem intelligi : Paulus Romæ fuit Episcopus , nempe: exercitio , & sede. Exercitio , id est : Paulus Romæ officium Episcopi exercuit ; sede , id est : Paulus sibi Romanam sedem despontavit. Primum verum est ; quia ubique erat Episcopus , ejusque munia poterat exercere ; Secundum est falsum , quia ut ipse fatetur , Episcopus debet esse unius uxoris vir , id est: Ecclesiæ , ut Patres exponunt , & apud Clementem epist. I. ad Jacobum habetur : *Petrus in singulis civitatibus singulos , non binos constitui precepit , quoniam inter ipsos Apostolos unus omnibus præfuit.* Igitur Paulus fuit Romæ Episcopus , quatenus tanquam Legatus exercuit Pontificalia ; quomodo etiam fuit Episcopus Ephesi , Athenis , Corinthi , Lystris , & cujuslibet civitatis , & loci , quem lustravit evangelizando ; non autem fuit Episcopus Romanus , id est : sponsus hujus Ecclesiæ . Exemplo res fieri clarior : sic Legatus Pontificis Ravennæ , aut alterius loci , aut civitatis , revera est ibidem Episcopus personalis , & ibi potest exercere Episcopalia munia , sed non est Episcopus localis in proprietate , sed alius ab eo.

Addes : nisi æqualiter cum Petro federit in cathedra Romana Paulus , non poterit verificari ipsum meruisse duodecimum thronum possidere , ergo . B. Instantia oppositum evincit , thronus siquidem Petri dubio procul est primus , duodecimus ultimus . Si hunc igitur meruit Apostolus jam compertum est , haud quaquam in throno Petri sedisse , sed in alio longe diverso . Plura , qui videre desiderat , adeat Belarminum fundate ea omnia tum proposita , tum etiam soluta repetiet in lib. I. cap. 12. de Romano Pontifice ; quæ huc transcribere non vacat , utpote ibi abunde soluta , ne prolixitas rerum tedium pariat legentibus.

§. V.

Contra II. Resolutionem adversæ partis argumenta solvuntur.

Argumentum I. Episcopus Romanus non est successor Petri in universalis Ecclesiæ regimine ; ergo ille non potest esse universalis Ecclesiæ Caput a. p. Si esset , id probari deberet , aut ex institutione Christi , aut ex facto Petri ; atqui Romanum Pontificem esse Successorem Petri probari non potest , aut ex institutione Christi aut ex facto Petri ; ergo &c. M. patet , cum ex his solum evincere cupiant defensores Pontificii Romanum Episcopum

* * *

pum fore universalis Ecclesiaz Caput. m. quoad I. part. prob. Institutio Christi se non extendit ultra singularem personam Petri, cui soli Christus dixit: *Tu es Petrus. Et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam* &c. *tibi dabo claves; pasc e oves meas;* veluti in antedictis pro solo Petro demonstrari quæsitum est; sed haec omnes locutiones singularem denotant personam tantum, ultra quam non sunt extendenda, velut itidem in Sect. II. dictum est, ergo Romanum Pontificem esse Successorem in universa Ecclesiaz regimine demonstrari non potest ex institutione Christi. m. probata nunc quoad II. partem prob. Factum Petri non tribuit certum jus Romano Pontifici potestatis in universam Ecclesiam, ergo. a. p. quia factum Petri imprimis est dubium, & a multis controversum, ergo certum jus tribuere non potest Romano Pontifici. R. n. a. ad prob. c. M. quoad utramque partem & n. m. ad ejus prob. quoad I. partem n. M. Nam sicuti instituta, & fundata in Petro Ecclesia non est in eo fundata tanquam in singulari perpetua persona, sed velut Christus docet: manebit supra Petrum ædificata, & fundata Ecclesia usque ad consummationem sæculi; sic potestas gubernativa Petro collata est in eo permanenter usque ad consummationem sæculi; sed Petri persona in se non mansit in Ecclesia usque ad consummationem sæculi; ergo persona haec manere debuit perpetua in successoribus. Secus quorsum illæ tante collimarent promissiones a Christo: *nec porta inferi prævalebunt adversus eam; rogavi pro te, ut non deficeret fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* si in sola persona Petri singulari sistendum est. Cum insuper nullum facile extet monumentum Petrum per se alios confirmasse Apostolos; id proinde intelligi non potest de Petri persona physica, sed moralis, usque ad consummationem sæculi in Ecclesia remanente in suis successoribus. Cum ergo Romani Pontifices, sint illi successores Petri, manent Christi dicta verificata, in Petro moraliter haec tenus permanente usque ad consummationem sæculi, in suis successoribus. Ad prob. II. partis dico: quodsi factum Petri non tribuit jus certum successori, etiam factum in aliquo Regno Antecessoris non faciet jus certum regendi successori; ex quo sane chaos, atque lites perpetuae sequerentur, merito, oportunißima, & vel ideo causa eversionis omnium Regnorum; quod & in Ecclesia merito foret timendum, & sic falsum vere esset illud Christi: *nec porta inferi prævalebunt adversus eam;* ni gubernativa Ecclesiaz potestas Petro a Christo collata in Petri transiret successores. Unde ad prob. dico: quod prædictum jus nunquam dubium fuerit ab origine Ecclesiaz,

sed semper tanquam certum ab omnibus orthodoxis agnitiū apud sedem Petri occupantes Romanos Pontifices , velut tot Patres antiqui , eorumque recursus , & appellations clare docent . Primus dubium illud movit Photius in Sedem Constantinopolitanam violenter intrusus Patriarcha Anno 857. qui cum suæ cause diffideret , suæ iniquæ conscius dignitatis , ex eodem principio , quo Lutherus , & Calvinus jugum excusſit ambitioſe legitimi Successoris S. Petri ; ne eundem legitimum Ecclesiæ Christi pastorem agnoscendo ; justas suæ temeræ pervicaciae pœnas luere cogeretur ; verum ex permissione Divina dubium illud solvit attome in Ecclesia orientali potentia infidelium , cum orientale imperium suo adjunxit dominati ; ob quod ambitio Ecclesiæ orientalis a Phortio inchoata , & per aliquot Schismaticos Patriarchas protracta , non ultra caput suum erigere audet adversus legitimos Petri Successores.

Instabis : nullus alius Apostolus habuit Successorem in suam Ecclesiā , cum pleraque corundem Ecclesiæ nunc desierint in fide , adversus quas portæ inferi prævaluerunt ; ergo non est peculiaris ratio , cur solus Petrus peculiarem debeat habere Successorem in sedem suam , sed sufficit ut in id munus omnes alii Episcopi in solidum succedant . R. ant. duobus modis intelligi posse ; primo absolute : quod videlicet nullus Apostolorum habuerit particularem in sua Ecclesia Successorem ; & sic falsum est ; Nam Jacobo in Ecclesia Hierosolymitana successit Simeon Cleophae filius , velut Eusebius l. 3. hist. c. 11. tradit . Secundo potest intelligi , cum hac limitatione : quod nullus Apostolorum habuerit perpetuam successionem in sua Ecclesia ; & sic verum est de omnibus Apostolis , excepto solo Petro , qui solus in Romana sede habet perpetuam Successionem , & infallibilitatem fidei , & doctrinæ . Verum cur ? quia pro eo solo specialiter Christus rogavit , ut non deficeret fides eius ; super eum solum , tanquam petram Ecclesiam ædificaturum se promisit ; unde gratis adversarii adversus eam claimant , quia nec portæ inferi prævalebunt adversus eam ipso Christo clare testante .

Dices Romanum Pontificem esse quidem Successorem Petri in Romana cathedra , sicut fuit Simeon Successor Jacobi in Hierosolymitana ; sed unde ergo ex hoc probatur eundem esse Successorem Petri in universa totius mundi regenda Ecclesia ? R. Id probari tam ex institutione Christi , volentis regimen Petri esse perpetuum , & invariabile , quoad formam regendi in Ecclesia , velut ipse Christus instituit ; quam ex facto Petri , hanc potestatem , quam a Christo accepit gubernandi Ecclesiam , Romana Sedi per mortem relinquens ; ne universa Ecclesia post Petri mortem



tem vagæ absque pastore , in alia forma regiminis remaneat . Vi primi Petrus omnes oves loco Christi visibiliter pascendas , sicut a Christo accepit , sic reliquit una cum jure Successori . Vi secundi oves Successori ibi pascendas identidem reliquit , ubi per mortem sedem reliquit , in quam eo ipso Ecclesiæ jus Successorem diligendi permisit , ne Ecclesia maneret corpus visibile , sine Capite visibili ; ex quo sequitur rursus primo : cum Romæ vitam finierit martyrio pro Christo coronatus , Romæ Sedem Successionis reliquisse . Secundo : cum Petrus potestatem omnium ovium gubernativam a Christo obtinuerit , sequitur eandem , quam a Christo obtinuit Petrus , post mortem suam Sedi reliquisse , a Successore legitime electo , & ab universa Ecclesia acceptato in ea potestatis plenitudine continuandam .

Premus : Sed unde constat hoc , quod eandem potestatem Petrus , quam pro sua persona a Christo obtinuit , sedi Romanæ reliquerit ? R. inde constat : quia Petri regimen Christus voluit esse perpetuum , sicut & ipsam Ecclesiam , ad cuius essentiam aliqua forma regiminis est necessaria , cum ergo Petri regimen personale usque ad consummationem sæculi minime fuerit , ne itaque universa Ecclesia periclitaretur Satanæ cribro veluti triticum exposita , atque ne post Petrum Ecclesia ob variationem regiminis substantialiter varita manere necessitetur , aliamque formam , quam Christus instituit , assumere , sine omni prorsus ratione ; ea igitur de causa Petrus dictam gubernandi potestatem alicui relinguere debuit in ea potestatis plenitudine , in qua is illam a Christo obtinuerat , cum jubeatur frater suos confirmare , qua confirmatione fratres omnium Ecclesiarum , & omnium sæculorum opus habent , ab ejus personæ fide , pro qua Christus sola specialiter rogavit , ut non deficeret fides ejus . Igitur si necessum est alicui sedi dictam gubernandi potestatem esse relictam a Petro , optimo jure ei relictam esse dicitur , cui Petrus suo facto eam reliquit , & hæc est illa , in qua diem supremum clausit , post quem successionem reliquit Sedi , in quam qui assumitur , manet successor in Cathedra S. Petri , qui succedit in plenum jus sui Antecessoris . Quod velut ante sat dictum est , cum Petrus facto suo Romæ comprobaverit , eodem facto suo universalem potestatem Ecclesiam gubernandi , in Romanos in suam Cathedram successores , una ac jus transtulit ; omnibus nempe posteris sæculis fratres in fide confirmandi , velut eidem Christus demandaverat .

Urgebis : Sed in scriptura nulla prorsus mentio fit successorum Petri ; nec etiam his gratis admisisse per claram consequentiam ex Scriptura deduci potest ; Romanos Pontifices esse hos Petri successores in munere gubernan-

nanda universalis Ecclesiaz; ex quo igitur Capite soli Romani Pontifices dicuntur Petri Successores? m. quoad. I. partem ex Scriptura clare a Pontificiis, haec tenus desideratur; m. eadem quoad. 2. part. prob. Admissa etiam gratis necessaria successione in officium Petri, quomodo haec inferetur de solo Pontifice Romano, & non potius de Antiocheno, aut alio? nam quae haec quæso consequentia: Petrus debet habere Successorem aliquem ne Ecclesiaz regimen varietur; ergo Romanus Pontifex est ille Successor Petri in universalis Ecclesiaz regimine? cur non alius? cum quilibet alius fieri possit ille Successor? sicuti, quæ haec est consequentia: Imperator debet habere successorem in regendo Imperio universo, ergo v. g. Elector Palatinus est ille successor in regendo imperio? cum tamen quilibet alius ex Electoribus fieri possit successor. R. d. a. in scriptura nulla prorsus mention fit successorum Petri explicitè c. a. implicitè n. a. Etenim scriptura clare dicit supra petram, quæ est Petrus esse ædificandam Ecclesiam, & portas inferi adversus eam non esse prævalituras; sed super Petrum ædificata est a Christo Ecclesia tanquam super Caput ejusdem visibile, ergo super eundem debet ita continuo usque ad consummationem sæculi superædificata remanere; ne portæ inferi prævaleant adversus eam; Hoc præsupposito sic arguere licet: atqui super ipsum Petrum tanquam personam singularem non mansit Ecclesia ædificata, usque ad consummationem sæculi; ergo debuit ædificata manere super eum in suis successoribus; ne Christum falsitatis arguere calumniose sit necesse, & perpetuum regimen, una ac forma regiminis a Christo in Petro instituta persevere posuit usque ad consummationem sæculi, ex ipsa Christi institutione. Unde stat in scriptura: Ecclesiam esse corpus cum suo capite visibili Petro constitutum, ergo cum illud corpus Christus voluerit esse usque ad consummationem sæculi, debuit & caput velle esse usque ad consummationem sæculi. Cum ergo caput a Christo constitutum non sit tale usque ad consummationem sæculi, debet remanere tale per regimen in suis successoribus. Quo præmisso ad probationem. 2. partis dico: optimam vere consequentiam fore: Petrus debet successorem in sedem suam aliquem in gubernatione totius Ecclesiaz habere, saltem ibi, ubi sedem ipsem facto suo reliquit, cum de alia ejusdem ordinazione circa hoc non constet; atqui facto suo Petrus nulli hanc successionem alligatam reliquit morte sua firmato, quam Romanæ sedi, cui immortuus est; ergo Romanæ sedis Pontifex est ille successor in gubernatione totius Ecclesiaz Petri. Quem insuper tota Ecclesia pro tali semper agnovit, per tot sæcula, usque ad haec infasta malevolorum veritatis oforum tempora. Unde pro superabundanti dictum bene notetur: quod quamvis aliquis Pontifex

* * *

tifex Romanus non esset Petri successor, ex eo ipso, quod Romanus sit Pontifex, ut ante subinsinuatum est; supposito tamen: quod solus Romanus Pontifex sit pro tali legitime electus, & ab universa Ecclesia acceptatus pro successore Petri, ille solus talis manet; quidquid in contra oblatent inimici ejus agnita veritatis impugnatores, & per hoc, crimen in ipsum Spiritum Sanctum admittere non verecundantes. Ex quo clare sequitur ad instantiam responsum; etenim si v. g. Elector Palatinus eligetur, & acceptaretur ab universo Imperio pro successore Imperatoris, per claram consequentiam concluderetur argumentum sequenti tenore: aliquem debet habere successorem Imperator in regendo Imperio universo, atqui v. g. Elector Palatinus est legitime electus, & acceptatus ab universo Imperio (ex suppositione exempli facti) ergo Elector Palatinus est ille successor legitimus in regendo universo imperio; & quidem cum ea regendi amplitudinis potestate, cum qua ejus rexit antecessor. Quia consequentia demonstrativa ad oculum proposita, eodem jure, & argumentandi methodo clarissime fluit absque omni violentia de Romanis Pontificibus ducta consequentia, pro Petri successoribus legitime electis, & ab universa Ecclesia pro talibus acceptatis.

Dices: Sed Lutherani, & Calvinistæ, aliique ejuscmodi genii homines eum non acceptant, nec pro tali agnoscere volunt? & quid inde! id etenim veritati propositæ minime obstatre potest; quod aliqui, sua libertate contenti credendi, quod volunt suo sensu abundantes, lucem veritatis etiam meridianam pernegerent. Nam nunquid etiam Athei plenis buccis clamant non dari Deum, ne hunc vindicem suorum scelerum fateri cogantur, sua libertate credendi, quod volunt contenti? Num ergo etiam in gratiam horum. quorum Deus venter est, Ille ecclipsim in veritate patietur, quem dari tota clamat natura universi? Nam etiam hæretici in primis quatuor Conciliis generalibus damnati, ea Concilia pro legitimis agnoscere non voluerunt, ne condemnatos in iis errores suos, damnare cogerentur, retrahente eos pertinacia sua ab agnoscenda veritate; & tamen non obstante hoc tam Lutherani, quam Calvinistæ, una cum suis coriphæis Concilia illa una nobiscum admittunt pro legitimis; quin negatio legitimatis ab Ario, Nestorio, Eutychete, Macedonio, & aliis ejusdem genii hominibus, quidquam apud Lutheranos, & Calvinistas veritati admissæ officiat! quidni & sanius agent, si una nobiscum admittant horum Conciliorum Caput, ab ipsissim nominatis Conciliis nunquam negatum, sed cum omni reverentia admissum?

Persistes: Si Pontifex Romanus esset Petri in Cathedra successor, etiam

ei in vita, & moribus succedere deberet; atqui Pontifex Romanus in his Petro non succedit, sed a vita, & moribus Petri longe recedit; ergo Pontifex Romanus non est legitimus in Cathedra Petri successor. M. vel exinde clarere potest: quia si in uno Pontificii, Romanos Pontifices succedere Petro volunt, cur alterum identidem non adjungunt? m. plerumque probant contrasentientes cum meritis in vitas Pontificum calumniis, ut quod sint superbi; corradant divitias ex avaritia; quod se velut Deum adorari finant, & coram se fleti patiantur, & plura similia, quæ possim ab aliis enarrantur, ergo! hic est rumbus! & pro superabundantit transfat M. & m. & n. c. Etenim si aliqui pauci, vitam, & mores non sunt fecuti Petri, quid hoc officit potestati successionis? Non enim vitam, & mores reliquit Petrus successoribus (nisi quoad imitationem) sed solum potestatem gubernativam Ecclesiæ universæ, infallibilitatemque fidei; unde promisit quidem Christus Petro, & ejus successoribus indefectibilitatem in fide; non tamen impeccabilitatem; ob quod potestas gubernandi, & vita Sancta non sunt inseparabilia, ita: ut ubi unum est alterum inveniri sit necesse; etenim etiam Caiphas fuit verus successor Aaronis, in officio Pontificali, & tamen non usque adeo bona fuit vita, cum auctor fuerit præcipiuus necis Servatoris nostri; quo tamen non obstante: *Cum esset Pontifex anni illius prophetavit, quod Jesus moritus erat pro gente.* Joan. II. v. 51.

Quid ergo plus querunt præ Caipha in Petri successoribus adversarii vita bona, quam potestatis? Bona quidem vita prodest personæ, potestas autem gubernativa necessaria est Ecclesiæ, quæ a bona vita dependet minime. Unde occasione præmissa hac ad prob. dico: quod quamvis aliqui Pontifices, non usque adeo bona vita fuerint, ast in tonto numero vere paucissimi, qui saltem tandem non resipiuerint, & vitam Sanctam non duxisserint. Imo si Historicos inspiciamus: ipsissimi, quos apponunt nobis melioris fuerunt vita, quam Lutheranorum, & Calvinistarum Coriphæ. Unde inspiciantur quæso, vita illorum, quos sectæ Apostolos a priori, & posteriori adorant contrasentientes; clarebit ex ipsis contemporaneis auctoribus (qui eorum vitas ad amissim observabant) multo pejorem eos duxisse vitam, quam eos, quos nobis objiciunt; catenus, ut ipsorum conditorum honestus cæteroquin animus, vitas suorum detestetur fidei fabricatorum, illud Christi usurpans: Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, & Pharisai, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis servate, & facite;* secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non

et non faciunt. Ergo ipsimet contrasentientes suæ Religionis Capita pro-
Pharisæis, & Hypocritis clare agnoscunt. Cur ergo eis fidem tantam ad
hibent in negotio salutis suæ? eis videlicet; qui: *alligant onera gravia,*
& importabilia, & imponunt inhumeros hominum, digito autem suo
nolunt ea movere; omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab homi-
nibus; dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias: amant au-
tem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, &
salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi; velut ipsos Christus
ad appropo eis cit: cap. describit; qui eorum vitam detestantur, & doc-
trinam nihilominus manibus, pedibusque amplectuntur. Mandavit quidem
Christus: quæcunque dixerint facite, secundum opera vero eorum nolite face-
re; verum cur? quia Pharisæi prædicarunt ea, quæ vetus lex præscripsit
servanda, quamvis ipsi contrarium factis suis monstrarint. Ast postquam
Capita suæ Religionis ab adversariis producta, legi Christi manifeste contra-
rium adducunt, cur sequuntur vestigia pedum eorum; hanc etenim fi-
dem similibus Pharisæis (quos ipsimet fatentur) adhibere Christus non
tantum non præcepit, sed nec præcipere potuit; utpote erroneam, & su-
am doctrinam depravantem, Christique legi contrariam.

His præmissis: nunc porro ad singulas digrediamur calumnias: ac in
primis, q̄tq̄ Romani Pontifices superbi sint? quis hoc unquam absque
detractonis nota effutire ausit? aut quis unquam objicentium, eorum au-
divit confessionem, ut tanquam sigillifragus, similis delicti eosdem accusa-
re, aut valeat, aut possit? circa infamiam injuriosi detractoris. Quid ergo
superbi præseferunt eorum titulus aplerisque usurpatus haec tenus: *Servus ser-*
vorum Dei? Quod si fors pompa externa, & magnificentia Christi Vica-
rii digna, ad demonstrandam dignitatem supremi in terris Christi Vica-
rii, superbiam adversariis indicat; etiam sane externa magnificentia Aaro-
nis in testamento veteri, in veste, auro, gemmis, & pretiosissimis qui-
busque ornamentis ad miraculum adumbrata, dum Pontificale munus obi-
vit, eundem superbum præseferet? Cur ergo, quæsumus, ipsemet Deus
tantam vestis nobilitatem, & prope miraculum artis, & pretii in veste
hac, qua supremus utebatur Sacerdos, fieri præcepit. Unde sequitur ex
hoc toto: Quod si forte superbi Pontifices fuissent aliqui, vitium hoc non
in manus, sed in personam redundasset, quæcum per hoc, quod Caput Ec-
clesie sit, impeccabilis non evadat: quid inde! quod alicui sit obnoxia
culpa, quæ non redundat in defectum officii sui? quoniam & talibus Chri-
stus

stus obedire præcipit Matth. 23. v. 2. quæcumque dixerint vobis servate,
& facite?

Quod vero secundo dicitur, nempe: quod Pontifices corradant divitias, videant quæso adversarii, antequam calumnientur, in quem finem? Cum etenim Romanus Pontifex sit totius orbis Servus Servorum Dei, & se profiteatur totius orbis Servum esse; nunquid: vere dignum, & justum est? ut pro servitio hoc toti orbi præstando, & per se non adimplendo, homines idoneos, qui negotia expediant, & judicia a se demandata exquirant teneat? pro quibus pro utilitate Ecclesiæ, & assumptis, & sustentandis fideles negotia exquirentes Romæ, Papæ aliquid contribuant? quin per hoc corrasor divitiarum esse arbitretur. Etenim ipsemet Christus pauperes beatos prædicat, sed non omnes pauperes simpliciter, sed solummodo pauperes spiritu; quæ paupertas vere stare potest juxta Petri exemplum imitanda cum summis divitiis; velut tot Sanctorum vere pauperum spiritu (in divitiis nihilominus externis abundantium) vera exempla pro teste sunt. Ex quo facile patere potest ad ultimam calumniam responsum: quod videlicet Romani Pontifices se finant velut Deum adorari, & coram se genuflecti; id etenim falsissima est calumnia! non enim adorari se finunt, sed in se adorari finiunt eum, cuius officium in regenda Ecclesia externe tunquam Vicarii ejusdem gerunt, videlicet Jesum Christum. Unde id non ex ambitione, sed ad promovendam reverentiam, & submissionem erga Salvatorem nostrum id facere eos oportet. Et nunquid Act. 10. v. 25. *cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit?* Quam ergo culpam querunt adversarii in successore, sui exemplum Antecessoris permittente? non enim fideles Pontificem adorant, velut Deum, sed adorant Christum in persona Pontificis, cuius ille in terris supremus Vicarius est. Ast nunquid idem exemplum familiare habetur in testamento veteri, ubi non Pontifices modo, sed & una ipsi Reges sæpe ab aliis adorati dicuntur; velut sæpius in l. 3. Regum, ac aliis habetur. Habent & Accatholici plerasque alias phantasticas incidentias, velut: quod sit Antichristus Pontifex, toties errasse inside eum, causamque esse, quod tota defecerit Ecclesia. Verum, quoad primum, cum sufficenter alii, nominatim Bellarminus, eis satisfaciat, non placet eisdem ultra movere bilem, exacerbatis aliunde in sedem Sanctam, quoad ipsorum impertinentias respondendo. Quoad alterum vero: cum identidem tot Apologistæ, & critici inveniantur, qui abunde ab omni erroris nevo Pontifices purificant non duxi respondentum fore, verum Lectorem ad eos remittere. Quod ad

ad tertium vero post quæstionem An, & quis sit Caput Ecclesiæ Christi loco, si vitam dederit Deus, una ac sanitatem respondere ego paratus sum: quoad quæstionem qualenam sit illud Caput Ecclesiæ? ubi de ejus porro acturus sum infallibilitate tam intra, quam extra Concilium. Pro nunc reliqua adhuc prosequetur.

Argumentum II. Quod Calvinus l. 4. instit. n. 8. objicit: *non sequitur, si unus duodecim hominibus initio præfuit, nunc toti orbi debere aliquem præesse: nam pauci facile, & utiliter ab uno reguntur, multa vero millia a pluribus gubernari possunt; ergo.* ¶ Vere mentita est Calvini iniquitas sibi! Petrus etenim non duodecim Apostolis solum, sed & multis millibus Christianorum præfuit. Etenim Joann. ult. non duodecim Apostolos solum, sed omnes oves suas Christus Petro commendavit. Legimus autem Act. 2. creuisse oves Petri ad tria millia'; & act. 4. ad quinque millia in sola Hierosolyma. Imo quo plures sunt homines, eo magis indigent uno Rectore, a quo in unitate fidei contineantur eo ipso.

Dices cum eodem. Si ideo Romæ est Sedes Summi Pontificis, quia Petrus Romæ gerens Pontificatum, inibi defunctus est, ergo ex eadem ratione Sedes Pontificatus Iudaici debuisset semper manere in deserto, quia ibi Moyses, & Aaron mortui sunt Pontificatum gerentes; imo sedes Pontificalis Christianorum Hierosolymis esse deberet, non Romæ, quia inibi Christus Summus Christianorum Pontifex obiit. ¶ Non ideo absolute Romæ est Sedes Pontificis summi, quia Petrus Romæ gessit Pontificatum, & inibi mortuus est; sed quia inibi Pontificatum gessit, cum animo inibi usque ad mortem manendi, per quod figendo inibi domicilium cum animo perpetuo manendi, fixit & sedem perpetuam, quam post mortem suam una cum dignitate officii capessendam reliquit inibi factò suo successoribus. Moyses vero, & Aaron, quamvis in deserto mortui sint, non tamen inibi (utpote in via solum existentes, atque ad terram promissionis tendentes) sedem; aut domicilium fixerunt perpetuum; quia intentio eorum non erat manere in deserto, sed transire ad terram, ibique primo suum figere domicilium ex ordinatione Divina; quod cum morte in deserto præventi complere non potuerint: inde manet id eos proficisse per suos successores sedem Hierosolymæ Pontificalem figentes, in quam, qui successit Sacerdos, in plenum jus Aaronis successit, regendi videlicet universam Synagogam. Atque ob eandem rationem Sedes Pontificis Christiani non mansit Hierosolymis, quia tametsi Christus Summus Pontifex inibi mortuus sit, non tamen

ascendit Hierosolymam, ut ibi suum perpetuum figeret Domicilium, sed solum ut inibi mortem pro salute humani generis subiret; velut ipse Christus Matth. 20. v. 18. testatur: *ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad iudicandum, & flagellandum, & crucifigendum.* Post quod cum Apostolos miserit in mundum universum praedicare Evangelium omni creaturæ, & Petrum loco sui Pastorem nominaverit, sequitur inibi sedem Pastoris, loco Christi remanere, ubi eam Pastor a Christo constitutus reliquit; cum ergo ille Romæ, & animo manendi vivebit, & mortem subiverit, manet inibi Petrum sedem suam successoribus reliquisse.

Resumes cum eodem: Si ea, quæ dicta sunt Petro, intelliguntur dicta etiam successoribus; ergo fateri debent Romani Pontifices se omnes esse Satanæ; nam hoc est dictum Petro Matth. 16. & in eodem loco, ubi dictum est ei: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* B. Ea, quæ dicta sunt Petro in triplici esse differentia: quædam enim ei dicuntur pro se, & omnibus Christianis; quædam pro se, & suis successoribus; & quædam pro se, & sua persona tantum; quod evidenter colligitur ex ratione diversa, qua ei dicuntur. Nam quæ dicuntur ei, ut uni ex fidelibus, certe omnibus fidelibus dicta intelliguntur. Ut Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Quæ vero dicuntur ei ratione officii Pastoralis, omnibus successoribus dicta intelliguntur; ut *pasce oves meas; confirma Fratres tuos; quocunque ligaveris;* Cum potestas ligativa, & solutiva in Ecclesia perpetuo manere debeat, sicut & ipsa Ecclesia perpetua est, & manet ex Christi institutione; ergo aliquis post Petrum eam habere debet. Quæ vero dicuntur Petro ratione propriæ personæ ipsius, ei soli dicuntur; ut *vade post me Satana; & ter me negabis;* hæc etenim ei dicuntur ratione propriæ imbecillitatis; & ignorantiae; & quidem tunc ea Petro dicta sunt, cum Petro quidem claves solum promissæ sunt, non tamen tunc, quando actu extraditæ; & ideo ea transiunt ad successores, quæ ei dicta sunt, in, vel post traditionem clavium, non vero ea, quæ ante hanc Petro a Christo dicta sunt.

Argumentum III. Ideo Romanus Pontifex esset universalis Ecclesiæ Episcopus, quia id colligitur ex Patribus: atqui Patres non loquuntur pro omni tempore, sed pro eo solum, quo ipsi vitam in terris agebant, ergo haec tenus non est universalis, sed solum particularis Ecclesiæ Pastor. B. Quod non ideo; quia Pontifex Principatum Ecclesiæ universalis non habet a Patribus, sed a Deo, ut aperte Patres testantur. Cyprianus siquidem Epist. 52. loquens de electione Cornelii hæc habet: *Factus est autem Cornelius*

nclius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio. Anastasius II. in Epist ad Anastasium Imp. Per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est Sedes Petri in universal Ecclesia, assignatum sibi a Domino teneat Principatum. Alii quoque Patres passim id affirmant. Non igitur Patres declarant Romanum Rontificem pro determinato tempore Caput universalis Ecclesie, sed tamdiu, quamdiu institutio Divina perseverabit; id est: usque ad consummationem saeculi; velut Christus veritas prædicta æterna. Unde egregie adversus Ruffinum dicebat Hieronymus: *Qua Ecclesia immaculata permanens, & Domino providente, ac B. Apostolo ferente opem, in futuro manebit.*

Dices: Sed in hoc potius standum est scripturæ, quam Patribus; atqui Scriptura ipsa vult interruptam Pontificum successionem: etenim Num. 24. dicitur: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Afferios, vastabunt Hebreos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Ergo actum est pro nunc cum Pontificibus Romanis. B. Pace mea! stenus Scripturæ præ Patribus; atqui scriptura de hoc non somniat, ergo ex Scriptura manet nihil dictum; qualis enim interrogatio, talis responsio! Perperam enim textus assertur scripturæ ad mentem Novatorum; siquidem scriptura non loquitur de Ecclesia, sed Romano Imperio, ejusque potentia, quæ periere passim in alios translatu dominationis jure. Hoc tamen toto quanto non obstante tota stat firma, & perpetuo stabit Christi Ecclesia, una cum suo Capite visibili Petri successore, & ratio in promptu est: quia *nec porte inferi prevalebunt adversus eam.*

Instabis: Præminentia Sacerdotalis dignitatis alligata fuit magnitudini Urbis Romanæ; sed hæc nunc desit, ergo & illa M. clarescere videtur ex Novell. Valentiniani III. Imperatoris: *Cum igitur Sedis Apostolica Primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis corona, & Romana dignitatis Civitatis, sacra etiam Synodi firmaverit auctoritas &c. - - ergo.* B. Instantiam hanc dissolvit Gelasius in Epist. ad Episc. Dardaniz: Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri, & Nicomedia multis temporibus sedes Imperii fuerunt, quibus cum nihil plus juris, dignitatis, & prerogative Ecclesie, ea de causa concessum fuerit, non immerito mendaci arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Romanam Urbem, ad fastigium Apostolici muneric evectam esse. - In idem concinit Leo Epist. ad Marcianum. Cæterum Valentinianus relatus rem nostram probe evinxit; dum adstruit: Petri meritum Primatum firmasse, ipsumque Petrum esse

esse Principem, Episcopalis coronæ, atque dignitatem Romanæ Urbis; quibus innuit Romam splendorem suum a Petro mutuasse; nisi dicere velis Imperatorem loqui, de jure Patriarchali; quod ex contextu colligi vi-detur.

Replicabis: Schismata, quæ in Ecclesia fuere, & illud potissime dirum, diuturnumque a temporibus Urbani. VI. (quod plerique volunt ad annos. 52. perdurasse) palam faciunt interruptam Pontificum successionem, cum eo tempore persæpe duo, quandoque tres computentur Pontifices, ergo. B. Perperam ex schismate suffragium querunt Novatores, etenim in quolibet tamper legitimus unus succellor Petri exstitit. Viginti sex enumerantur in Ecclesia schimata, verum portæ inferi licet dire vexaverint, nusquam tamen adversus eam prævalerunt.

Ex his colligitur. I. Debere in Ecclesia Christiana aliquod supremum tribunal admitti; quia cum lites in Ecclesia exurgent ex scriptura novimus, & ex ipsis fidelibus exurgent viros perversos, qui abducant discipulos post se prædictos habeamus, necessum fuit constitui a Christo supremum in Ecclesia tribunal, quod controversias exurgent, definire, & dirimere possit; cum ipse Christus mandet: dic Ecclesiæ, ergo in ea tribunal dictum, est necessarium, adquod fideles in dubiis possint recurrere.

Colligitur. II. Sumum Pontificem esse supremum controversiarum fidei Judicem. Etenim in lege veteri judex controversiarum fidei, & legis, erat sumus Sacerdos, ergo cum nova lex sit perfectior veteri, utpote figuratum sua figura, oportet ut sumus Sacerdos novæ legis non minori sit præditus auctoritate præ Seconde Sacerdotie Sumo legis antiquæ. Insuper Matth. 18. v. 17. præcipitur: *Dis Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ebnicus, & Publicanus.* Nomine autem Ecclesiæ præcipue intelligitur is, qui eidem tanquam Caput visibile præsidet. Ex praxi namque ab hominibus recepta, crimina non facile deferuntur ad omnes fideles, aut ad Concilium, nisi admodum raro, cum Concilia admodum raro haberi possint, & alias nimis arduum remedium pro corrigendis, instituendisque fidelibus Christus instituisset, cum non nisi summo studio Concilia congregari possint; ergo cum Potifex tanquam Caput visibile, Ecclesia præsit, ea propter eidem primo tanquam Capiti visibili, cui appromissa est indefectibilitas in fide, competit judicaria potestas in Ecclesia omnibus sacerulis, & temporibus necessaria, ad hoc: ut fideles in unitate fidei a Christo revelatae contineantur, salutemque per fidem a Christo revelatam consequi possint, ac valeant. Et hæc de Capite Ecclesiæ visibili pro nunc satis dicta sunt. Quæ omnia ejus infallibili judicio submitto, quem hactenus Successorem legitimum Petri, pro viribus demonstrare satagebam, cedantque hæc omnia, & singula.

Ad Majorem Dei Gloriam.



I. Existencia Dei ex creaturis demonstrari potest. II. Unde ignorantia invincibilis Dei dari non potest. III. Ad quem videndum oculus corporeus elevari non potest. IV. Deus cognoscit prefecte presentia, & futura. V. Illa tamen perscientiam medium non cognoscit. VI. Sed perscientiam visionis futura absoluta in decreto absoluto. VII. Et conditionata fuita in decreto objective conditionata. VIII. Deus ab eterno predestinavit, & in tempore premovebat actiones creaturam liberas, sine lesione libertatis creatae. IX. Providentiam Dei lumen naturale clare restatur. X. Predestinatione ut beneficium gratuitum ex sola bonitate Dei oritur. XI. Ea nibilominus tanquam Corona justitia intenta, & considerata connotat merita. XII. Velut Reprobatio, ut a justitia vindicativa orta connotat demerita. XIII. His non obstantibus salvatur voluntas antecedens salvandi omnes homines. XIV. Dari in Deo tres personas fides docet. XV. Qua et si tres entitates, & perfectiones relativas distinctas designet, essentiam tamen unam sibi identificant. XVI. In Deo vera realis processio datur. XVII. Una filii, que est generatio ejus, ut pote facta per intellectum. XVIII. Altera Spiritus Sancti, qui si a filio non procederet, ab eo realiter non distingveretur. XIX. Dari Angelos Scriptura testatur. XX. Quorum reprobri ab igne corporali vere torquentur. XXI. Homo per peccatum originale non amisi libertatem. XXII. Peccator libere cooperatur gratia adjustificationem sui. XXIII. Et quamvis homo singulas veritates naturales absque speciali gratia Dei cognoscere possit, non tamen supernaturales. XXIV. Unde ad affidentium mysteriis fidei preter externam revelationem, interna specialis gratia est necessaria. XXV. Quilibet homo Christianus non tantum Dei, sed & Ecclesia praecepta servare tenetur. XXVI. Dei praecepta impossibilitate non sunt,

sunt, que cum gratia Dei quilibet adimplere potest. XXVII. Praeceptum convertendi se ad Deum per se obligat in primo instanti usus rationis. XXVIII. Humana lex potest obligare in conscientia. XXIX. Ecclesia potest praecepere actus internos directe. XXX. Peccatum mortale in ratione offense est infinita malitia. XXXI. Quod formaliter in privatione redditudinis consistit. XXXII. Peccatum originale non in concupiscentia, sed in privatione iustitiae originalis situm est. XXXIII. Quod per Baptismum vere tollitur, & non tantum tegitur. XXXIV. Solus Deus unus & trinus est objectum perfecte Beatificativum hominis. XXXV. De fide est Clemens, XIII. actu regnantem Pontificem esse Vicarium Christi. XXXVI. Qui in decisionibus fidei etiam extra Concilium est infallibilis. XXXVII. Fides est incompatibilis cum clara Dei visione. XXXVIII. Ut & spes cum certo credita damnationis revelatione. XXXIX. Promissum a saeculis Messiam venisse demonstrari potest. XL. Qui cum in remedium peccati venerit, se Adam non peccasset, in mundum non venisset. XLL. Septem nove legis Sacraenta sunt a Christo instituta. XLII. Que instrumentaliter physice causant gratiam. XLIII. Parvuli ante usum rationis recte baptizantur. XLIV. Christus est vere reliater prasens in Eucarista. XLV. In qua sola species panis, & vini cum corpore Christi remanent, non tamen substantia panis, & vini. XLVI. Non est praeceptum Divinum extra Sacrificium communicandi sub utraque specie. XLVII. Sacramentum penitentiae potest esse validum, & informe. XLVIII. Circumstantiae aggravantes sunt materia necessaria confessionis. XLIX. Justus per bona opera potest de condigno satisfacere pro pana temporali ex peccato remisso permanente. L. Ministri Sacramenti matrimonii sunt contrahentes.

